IO. BALTHASARIS WERNHERI ... PRINCIPIA IURIS ECCLESIASTICI...

Johann Balthasar : von Wernher




Io. Balthasaris Wernheri

POTENTISS. POLON. REGI ET ELECT. SAX.
A CONSILIIS AVLAE, ATQVE IVSTITIAE, ORDINIS
ICTORVM IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
ORDINARII, ET ANTECESSORIS
PRIMARII ETC.

PRINCIPIA IVRIS ECCLESIASTICI PROTESTANTIVM

INSTRVENDO INPRIMIS PASTORI
ADORNATA.



VITEMBERGAE.
APVD CHRIST. THEOPH. LVDOVICVM
MDCCXXVIII.

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO

DOMINO


GOTTL. HIERON.


DE

LEIPZIGER

DYNASTAE IN HEYDE ETC.
POTENTISSIMI POLON. REGIS,
ET ELECTORIS SAXONIAE,
MINISTRO STATVS INTIMO,
SVMMI, PROVOCATIONVM PARITER
ET ECCLESIASTICI, SENATVS
PRAESIDI EMINENTISSIMO,

DOMINO, ET MECAENATI
MEO GRATIOSISSIMO
SALVTEM, ET PERPETVAM
FELICITATEM!



Um multae, et graues mihi rationes ſint, cur Illuſtriſſimo Nomini Tuo, EXCELLENTISSIME DOMINE, praeſentes pagellas inſcribere auſus ſim, tum id nemo miretur, qui ſciat, Te, hoc ipſo tempore, apud nos uerſari, &, Regia Auctoritate, res Academiae noſtrae conſtituere, ac ſapientiſſime ordinare. Rara hac felicitate fruimur, ut nobis quotidie, Tecum eſſe, a ſacro ore Tuo pendere, atque excelſas Animi Tui dotes, quarum

rum

rum fama iamdudum late percrebuit, coram intueri liceat. Nemo noſtrum eſt, qui non obſtupeſcat, ad illam ingenii, iudiciique exquiſitiſſimam uim, quae in Te uiget, ad illud orationis flumen, quo Summos Oratores uincis, atque ad illam artium omnium, & ſcientiarum, cognitionem, qua polles, & quarum nulla eſt, quae non, in Te, ſuum Numen adoret. Quae ſingula aliis ſufficiunt, ut Magni uideantur, ea, in Te, omnia coniuncta ſunt. Ad quas incomparabiles animi facultates tanta humanitas, atque tam rara, compoſiti animi, in tali fortuna, moderatio accedit, ut ars pariter, atque natura, quid efficere poſſit, in Te potiſſimum uideatur experta. Mihi ſigillatim ſummopere gratulor, quod, hac occaſione, Tibi propius innoteſcere, & Gratioſam, Tui erga me affectus, propenſionem experiri, licuerit. Qua fretus, leue hoc, & exile munus, Tibi, demiſſe, & ſumma animi religione, offero; Numen Immortale precatus,

tus, ut, tam Illustre sidus, in Te, rebus humanis, & inprimis Saxonicis, commodatum, quam serissime, repetat. Me, Gratia, Patrocinioque Tuo, tamdiu complecteris, quoad me illo, non indignum, iudicabis. Dab. Vitembergae ipsis Calendis Maii, MDCCXXVII.

ILLVSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMIQVE NOMINIS TVI

HVMILLIMVS CVLTOR

JO. BALTHASAR WERNHER.



Ad Lectorem.

EXeunt hic in lucem Principia Juris Ecclesiastici Protestantium, breuibus, & succinctis, praeceptis comprehensa; non alio fine, quam ut usui Auditorum meorum inseruiant, iidemque, describendi labore, & taedio, supersedere queant. Sed & illud, scopo meo conuenientissimum esse, censui, si ita proponerentur, ut futurum Pastorem, circa officii sui partes, instruerent, & cautum redderent; ne, legum Ecclesiasticarum ignarus, in eas, ut fieri subinde solet, impingat, eoque uel poenam, uel incommoda alia, incurrat. Quotidie enim, in Consistorio Vitembergensi, cuius Directorium mihi, Regia, atque Electorali Auctoritate, demandatum est, experiendo didici, quam turpiter se complures, sacris muneribus admoti, dare soleant, ignoratione Juris, in quo uersamur, & quod uel maxime sciri debeant, lapsi. Cui ego defectui, medelam afferre, conatus sum, tradendo

dendo ſtrictim genuina fundamenta, quae, in partibus officii ſui adminiſtrandis, ante oculos habere debeant. Fecerimne pretium operae, nec ne, tuum, Lector, iudicium eſto; cui, quicquid tum alibi, tum de hoc argumento, ſcripſi, lubens ſubiicio. Mihi, ad fructum laboris, ſatis eſt, etiam hac in parte, quod officii mei eſt, feciſſe, & proximi commodum, pro uirili, promouere uoluiſſe; ſucceſſus omnis ab eo, qui hoc Uniuerſum regit, Eiusque benedictio, pendet. Illud ſaltem, me conſecutum eſſe, ſpero, confidoque, ut parochorum multi agnituri ſint, maximum, & rebus Chriſtianis periculoſiſſimum errorem, dum putant, ſe officio ſuo ſatisfeciſſe, imo animam pro ouibus poſuiſſe, ſi modo concionari, meditari, aegrotos inuiſere, &, in pagis praeſertim, ex uno loco, in alium, migrare ſoleant; nihil de caetero, uel parum penſi habentes, quomodo parochianos, ad ueterem Adamum exuendum, & ſui abnegationem, moueant, atque perducant. De quo eo minus ſoliciti ſunt, quo magis etiam ipſi, in ſolum opus operatum intenti, ſalutem ſuam ſecure negligunt, & peſſimum auditoribus exemplum praebent. Quod Eccleſiae noſtrae grauiſſimum uulnus, a Deo, & illis, quibus ius ſummum, circa ſacra, commiſit, medelam, anxie, nec ſine piorum ſuſpiriis, expectat. Vale.



CAPVT I.
DE DEFINITIONE ET SYNONYMIS PASTORIS.

§. I.



Aſtor hic ſumitur late, prout etiam Diaconum complectitur. Eſtque perſona eccleſiaſtica, ad ſacrum miniſterium legitime uocata, & iurium huic muneri annexorum particeps.

§. II. Dicitur alias Parochus; item Miniſter Eccleſiae, Miniſter Verbi Diuini; Eccleſiaſtes; Clericus; Presbyter; Sacerdos; Germanice, Prediger, Pfarrer, Prieſter, Seelſorger ꝛc.

§. III. Vocatur etiam Eccleſiae Doctor, ein Lehrer, uocabulo ad munus ualde accommodato. Neque enim eorum, qui in Eccleſia ſunt, diuiſio magis commoda reperiri,

periri poteſt, quam in *docentes*, & *auditores*, Lehrer, und Zuhörer.

§. IV. Sicuti enim imperium in conſcientias nullum & fruſtraneum, imo Sacrae Scripturae e diametro aduerſum eſt; ita diuiſio, in imperantes, & parentes, ad eccleſiam proprie non quadrat. Vid. *1. Petr. V. 3.* Nicht als die über das Volck herrſchen, ſondern werdet Fürbilde der Heerde.

§. V. Directio tamen aliqua, ut in omnibus aliis collegiis, ita etiam in eccleſia requiritur, ut omnia κατὰ τάξιν, καὶ εὐσχημοσύνην, fiant. Quod tamen, cum imperio & iurisdictione, nihil commune habet.

§. VI. Quid de appellatione Clerici, Geiſtlicher, ſentiendum ſit, & an parochis, cum excluſione reliquorum, in Eccleſia, ſolis conueniat, uarie diſputari ſolet. Vbi illud expeditum eſt, diſtinctionem perſonarum, in *clericos*, & *laicos*, Geiſtliche, und Weltliche, in Scriptura S. haud reperiri. Omnes enim Chriſtiani, ex ſtylo Scripturae S. ſunt Clerici, h. e. lecti per Chriſtum, ad occupandum κλῆρον τῶν ἁγίων, ſeu ſortem & hereditatem ſanctorum. *Eph. I. 11. 14. Col. I. 12.*

§. VII. Fruſtra igitur, hanc diſtinctionem iuris diuini eſſe, contendit *Petr. de Marca, Diſſ. de diſcrimine clericor. & laicor.* Nec minus falſo, eandem ab Apoſtolis inuentam

eſſe,

eſſe, comminiſcitur *Baronius*. Cuius obiectiones diluit *Kortbold. Diſquiſit. V. Anti-Baron.* §. *4. p. 151.* Vnde nec, in primitiua Eccleſia, hoc diſcrimen receptum fuiſſe, demonſtrari poteſt.

§. VIII. Quamobrem, ſi ueritas haud disſimulanda, memoratum diſcrimen, ſine dubio, commentum humanum eſt; inprimis ad ſtabiliendam Cleri Romani praerogatiuam, & in contemtum laicorum, excogitatum atque exſtructum. Cuius ſententiae mihi graviſſimus auctor & teſtis eſt *B. Lutherus*, *T. I. Altenb. p. 482. a.* ubi ita loquitur: Man hats erfunden, daß Pabſt, Biſchöffe, Prieſter, Kloſter-Volck, wird der Geiſtliche Stand genennt, Fürſten, Herren, Handwercks- und Ackerleute, der Weltliche Stand, welches gar ein fein Commentum und Gleißen iſt. Doch ſoll mir niemand darob ſchüchtern werden, und das aus dem Grund, denn alle Chriſten ſind wahrhafftig geiſtlichen Standes, und iſt unter ihnen kein Unterſcheid, denn des Amts halber allein.

§. IX. Interim diſcrimen hoc tolerari poteſt, tanquam humanum, & uſu receptum; ut illi, qui ſacrum munus obeunt, a reliquis functionibus, intuitu objecti, circa quod occupantur, diſcerni queant. Si modo opinio ſingularis praerogatiuae, cuius

gratia illud uidetur repertum, & exemtionis a iurisdictione seculari, a qua utraque cordati clerici abhorrent, longissime absit; neque confundatur cum illa, omnino spuria & rejicienda, qua personae in Ecclesia, in spirituales, & carnales, seu mundanas, diuiduntur.

§. X. Quod nomen Presbyterorum & Sacerdotum, der Priester, attinet, illud Parochis, tanquam proprium, rursus ex stylo Scripturae S. tribui nequit. Juxta hunc enim omnes fideles Christiani, sine discrimine, *Sacerdotes* appellantur; ut recte docet *B. Lutherus, T. I. Altenb. p. 482. b. ibi*: Demnach werden wir allesamt durch die Tauffe zu Priestern geweihet, wie S. Peter in der 1. Petr. II. sagt: Ihr seyd ein Königl. Priesterthum, und ein Priesterlich Königreich; Und in der Apocalypsi: Du hast uns gemacht durch dein Blut zu Priestern und Königen, & paulo post, ibidem: Dieweil denn nun die weltliche Gewalt ist gleich mit uns getaufft, nach demselben Glauben und Evangelium, müssen wir sie lassen Priester und Bischöffe seyn ꝛc.

§. XI. In V. T. Sacerdotes proprie sic dictum sacrificium peragebant; animalia uiua, in typum Christi, in carnem uenturi, immolando. Inde nomen hoc ad Clerum Romanum, per Missae sacrificium, transiit; quod,

quod licet Protestantium Ecclesiae haud agnoscant, nomen tamen libere retinuerunt; ut Clerici Nostrates etiam κατ' ἐξοχὴν, & in sensu speciali, Sacerdotes audiant, adeoque ab auditoribus suis, & parochianis, distinguantur.

§. XII. De hac igitur, similibusque appellationibus, qui litem Clericis temere mouent, fluctus in simpulo excitare uidentur, &, dum suum, erga illos, odium produnt, non animadvertunt, quod in praecipuam christianae Charitatis legem impingant. Sane & hic locum habet uulgata regula: In uerbis simus faciles, modo in re conueniamus. Et, cum JCti se Sacerdotes, scil. Justitiae, appellent, quippeni etiam Clerici hoc nomine utantur?

CAPVT II.
DE
CONSTITVTIONE PASTORVM.

§. I.

Circa constirutionem Ministrorum Ecclesiae uarii actus occurrunt; iidemque sunt: 1) Nominatio, 2) Electio, 3) Admissio ad concionem pyrasticam, Prob-Predigt, 4) Interrogatio & approbatio populi,

 5) Vo-

5) Vocatio, 6) Praesentatio, 7) Examen, 8) Ordinatio, 9) Confirmatio, & denique 10) Inuestitura.

§. II. Actus Nominationis & Electionis non semper in eodem subiecto concurrunt; sed aliquando, alius nominat, alius eligit. Quo casu plerumque duo, uel tres, Candidati denominari solent; ex quibus, si nihil in eorum, uel doctrina, uel uita, desiderari possit, necessario unus eligendus est.

§. III. Electio Pastoris, si primam originem spectes, est penes Ecclesiam, in qua munus uacat; quae libere sibi parochum eligit. Quam libertatem quae retinuerunt Ecclesiae, *liberae* appellantur.

§. IV. Successu temporis, & sigillatim *Justiniani Imp.* aeuo, consuetudo inualuit, ut, qui Ecclesiam fundaret, uel dotaret, praemii loco, facultatem eligendi Pastorem, nomine totius Ecclesiae exercendam, acciperet. Vid. *Nou. 57. c. 2.* Qui Patronus Ecclesiae, it. Collator, appellari coepit, sicut ipsa haec eligendi facultas *Ius patronatus* dicta; Pfarr-Lehen, Kirchen-Collatur, &c. Qua ratione ius, Ecclesiae competens, in unum translatum est; sine dubio hoc fine, ut plures, ad templa aedificanda, & alimenta ministris eorum constituenda, inuitarentur. Atque tales Ecclesiae, ut a liberis distin-

diſtinguerentur, *patronatae* uocatae, indeque ius patronatus, quum a laicis etiam exerceatur, non ſpirituale, ſed ſpiritualitati annexum, a Canoniſtis, dicitur.

§. V. Nominatus & electus Paſtor admittitur a Superintendente, tanquam delegato Conſiſtorii, ad Concionem pyraſticam; es wird ihm die Cantzel zur Prob-Predigt eröffnet. Qua finita, interrogantur ab eodem parochiani, utrum habeant, quod in Candidati, uel doctrina, uel uita, deſiderent? Si tale quid allegent, a Superintendente ad Conſiſtorium refertur, ut iudicet, utrum, ad repellendum Candidatum, ſufficiat. Neque enim friuoli praetextus attendi debent. uid. *Ord. Eccl. Sax. tit.* Wie ein Kirchen-Diener. Igitur, ex priſtino iure, Eccleſiis hoc uotum negatiuum remanſit, ſi cauſas diſſentiendi ſonticas afferre poſſint.

§. VI. Quodſi munus Superintendentis officio Paſtoris cohaereat, Patronus hunc tantum eligit, & in arbitrio Principis eſt, utrum eidem ſimul inſpectionem, ſeu munus Superintendentis, conferre uelit, quod regulariter fieri ſolet, necne. Quo poſteriori caſu Patronus alium, eumque magis idoneum, eligere iubetur.

§. VII. Electio ita fieri debet, ut Paſtor de Diuina Vocatione, certus eſſe poſſit. Igi-

tur fieri non decet, per modum nundinationis, quam Simoniam uocant; aut per ambitum, & factiones, neque intuitu affinitatis, & nuptiarum.

§. VIII. Literæ Reuerſales, quibus ſibi Patronus ultra, quam ius patronatus patitur, futurum Paſtorem obſtringit, nullam uim obligandi habent, & aliquando, pro uarietate circumſtantiarum, uterque arbitrarie punitur.

§. IX. Quando parochiani Candidatum approbarunt, literæ Vocationis ipſi tradi ſolent, regulariter a Patrono, aliquando tamen etiam ab alio. Vnde, a iure uocandi, ad ius patronatus, ſimpliciter concludi nequit.

§. X. Sicuti uero talis Vocatio immediate ab homine proficiſcitur; ita ſaepenumero, utrum ea Diuina, adeoque neceſſario ſequenda ſit, dubitari ſolet. Plerique tum ſe in tuto nauigare credunt, quando pro ſe Reſponſum alicuius Facultatis Theologicae impetrarunt. Cum uero, de aliena conſcientia, reſpondere, arduum & anceps ſit, patet, id unum nemini ſecuritatem praeſtare; etſi non omnino negligi mereatur.

§. XI. Mea ſententia, non alius Diuinae Vocationis certior character eſt, quam ſi quis in conſcientia ſua conuictus ſit, quod ambi-

ambitio, & lucri cupiditas, ab ipſo procul ſit, neque alio fine muneri eccleſiaſtico admoueri cupiat, quam ut, praeter honeſtam ſuſtentationem, primario Gloriam Diuinam, & hominum ſalutem, promoueat; & non aliis, quam honeſtis, & licitis mediis, ad conſequendam Vocationem uſus, haecque ab eo, qui ius uocandi habet, legitime profecta ſit.

§. XII. Sequitur actus praeſentationis; quando electus Epiſcopo, uel apud nos, Conſiſtorio, ad Examen & Confirmationem, præſentatur, atque ſiſtitur.

§. XIII. Haec ſit a Patrono. Vnde electio & præſentatio dicuntur eſſe duae partes eſſentiales Iuris patronatus. Concurrere tamen regulariter ſolet Superintendens, hoc tantum fine, ut conſtet, nihil, uel ipſum, uel parochianos, habere, quod in Candidato deſiderent.

§. XIV. Praeſentatus literas praeſentationis, & uocationis, cum teſtimoniis uitae, ante actae, a Profeſſoribus Academiae, ubi uixit, impetrandis, praecipue ſi ignotus ſit Conſiſtorio, ipſe in perſona, ut loquuntur, exhibet; quod utrasque literas ſolicite examinat, & inprimis cauet, ne clauſulae inſolitae, quae praeiudicium afferre poſſint, iisdem inſerantur.

§. XV. Si nihil ſit, quod iure deſiderari poſſit, ſuſcipitur Examen a Conſiſtorio, per Aſſeſſores Theologos, regulariter publice, niſi aliud conſuetudo ferat.

§. XVI. Optandum uero eſt, ut Examen praecederet Vocationem; ne, ſi Candidatus haud idoneus reperiatur, haec inanis ſit, & effectu careat.

§. XVII. Poſt examen, ſi Candidatus recte in eo ſteterit, ordinatur publice in Eccleſia, per Miniſtros Verbi Diuini, tanquam illius Delegatos, mediante impoſitione manuum, accedente benedictione, & precibus. Ius ordinandi perinde, ut ius eligendi, Paſtores, originarie eſt penes Eccleſiam, quod illud mediate exercet.

§. XVIII. Per hanc Ordinationem Candidatus Miniſterii ſeparari cenſetur, a laicis, eiusque teſtimonium ab ordinantibus, non tamen indelebilem characterem, accipit, ut quidam ſtatuunt.

§. XIX. Ordinari neminem, absque titulo, poſſe, h. e. niſi ad certam parochiam uocatus ſit, tralatitium habetur; ſed id iuris tantum humani, non Diuini eſſe, nemo cordatus abnuit; idque Apoſtolorum, ſigillatim *Pauli* atque *Barnabae*, exempla clariſſime euincunt.

§. XX. Ordinationem excipit Confirmatio,

tio, quae fit a Consistorio, praestito apud nos iuramento Religionis,& praeuia subscriptione Librorum Symbolicorum, datisque literis confirmationis.

§. XXI. Vltimum complementum constitutioni Pastorum addit Inuestitura, die Einweisung, Introducirung; ubi Pastor, rite uocatus, ordinatus, & confirmatus, Ecclesiae suae publice sistitur, & solenniter in actualem eius possessionem inducitur.

§. XXII. Concurrunt, in hoc actu, Superintendens & Patronus, posteaquam inter eos, de stato die, conuenit.

§. XXIII. Nihil tamen prohibet, quo minus etiam Politicus solus hunc actum expediat, ut quibusdam in locis fieri solet. Rectius tamen Superintendens adhibetur.

§. XXIV. Inuestitura plerumque diu differri solet; sed male. Namque uel statim, post confirmationem fieri, uel plane omitti debebat. Recte igitur apud nos Superintendens, ut quamprimum, & sine mora, Investituram suscipiat, in ipsis literis confirmationis, admonetur.

§. XXV. Communiter Inuestitura propterea utilis censetur, ut inuestitus Pastor, interdicto retinendae & recuperandae possessionis, intuitu bonorum parochialium, uti queat. Sed non uideo, cur haec remedia posses-

possessoria, licet inuestitura nondum secuta sit, denegari queant Pastori, qui officio ecclesiastico hactenus functus est, & bonorum parochialium possessionem actu apprehendit.

§. XXVI. Mihi praecipua utilitas, in precibus & adhortationibus, consistere uidetur, quibus tam Pastor, quam parochiani, officii sui admonentur.

§. XXVII. Ad abusus refero, si inuestiens primario sportulas, pro investitura soluendas, quae *cathedratica*, it. *Endronistica* dicuntur, intendat, & tanquam partem salarii sui spectet, indeque, hac licet omissa, illas petat, & accipiat.

§. XXVIII. Quod Superintendens alium inuestire nequeat, nisi ipse inuestitus sit, fundamento caret; neque in praxi attenditur. Satis est, quod haec potestas ipsi, a Superiori, concessa sit.

Capvt III.
DE
QVALITATIBVS ET VIRTVTIBVS PAROCHORVM.

§. I.

De his peculiaris titulus in Iure Canonico extat, qui est *1. Libr. III. Decretal.* *de*

de uita & honest. cleric. sed fatendum, illa tantum fere ibi tradi, quae ad decorum Clericorum spectant; reliqua uel praetermitti, uel leuiter attingi.

§. II. Nobis omnes qualitates & uirtutes parochi, ad duas, commode reuocari posse uidentur: *Orthodoxiam*, & *Pietatem.*

§. III. Prima est Orthodoxia, daß er sey in der Lehre rein und richtig. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 16.* Hanc *Dn. Thomasius* per religionem dominantem definit. Vid. Eius *Annot. ad Lancell. Inst. Iur. Can. p. m. 1894.* Sic uero, eandem non proprie, sed abusiue accipi, patet. Nobis, & in sensu genuino, atque Theologico, est doctrina, Sacrae Scripturae, & Libris Symbolicis, consentanea.

§. IV. Quodsi Parochus secus sentire, & heterodoxiam fouere incipiat, eam non docere, aut cum aliis communicare, sed, sine mora, ei, qui Summo Iure circa Sacra gaudet, uel Consistorio, exponere, atque expectare debet, quid porro de ipso statuendum fuerit; ad quod, apud nos, ut *Cap. praeced.* uidimus, initio muneris, iureiurando obstringitur.

§. V. Altera est Pietas, non modo externa, quam plurimi prae se ferunt, sed inprimis illa, quae statum regenerationis supponit, & praecipue, in uera fide, atque sui abnegatione, consistit.

§. VI.

§. VI. Quamuis enim, nostra sententia, Verbum Dei, ab irregenito licet Pastore, pure praedicatum, semper sit uerum & efficax, non tamen Pastor exemplum gregis, ut ab Apostolo *1. Tim. IV, 12.* iubetur, esse potest, nisi ipse, in statu regenerationis, & gratiae, sit constitutus.

§. VII. Nullum uero certius criterium hominis regeniti est, quam si appareat, ex eius actionibus, quod inimicos suos diligat, & omni occasione eorum commoda, procul ab omni rancore, & uindictae studio, promouere studeat; iuxta praeceptum Saluatoris nostri *Matth. V. 44. seq.* Quod, qui insuper habet, & occasioni inuigilat, eandemque cupide arripit, qua inimicos suos premat, certus esse potest, quod, non in statu gratiae, sed, quod tremendum, in statu irae sit. Ita enim Christus, *c. l. u. 45.* Auf daß ihr Kinder seyd euers Vaters im Himmel, & *u. 46.* denn so ihr liebet, die euch lieben, was werdet ihr für Lohn haben? thun nicht dasselbe auch die Zöllner. Add. *u. seq. 47.*

§. VIII. Vt igitur Parochus se regenitum, & fide saluifica instructum, per opera ostendat, neque exemplo suo destruat, quod doctrina profecit, praelucere auditoribus iis uirtutibus debet, quas commendat Apostolus *1. Tim. III. & IV.* quae, tanquam fructus fidei, a statu regenerationis, diuelli haud

haud queunt, ſed ex eo ſemper dimanant.

§. IX. Abſit igitur inprimis, a Parocho, ſpiritus perſecutionis. Hic enim nihil, cum Spiritu Veritatis, commune habet, nec niſi impuri & irregeniti, cordis indicium eſt.

§. X. Quamobrem, ſicuti ueram doctrinam, non tantum doceri, ſed & defendi, atque errores refelli, par eſt, ita ſine acerbitate id faciet; exemplo Chriſti atque Apoſtolorum, & ſicuti leges Imperiii ac Ordinationes Eccleſiaſticae, iuxta ductum Verbi Diuini, praecipiunt. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 3.* §. zum achten. ibi: die Perſonen, ſo mit falſcher Lehre eingenommen, mit dem Geiſt der Sanfftmuth, zu wiederbringen ſich befleißigen.

§. XI. Inprimis, circa elenchum, id Paſtor caueat, ne, inconſulto & praecipiti animo, uelut haereſin, ſtatim damnet doctrinam, quae in articulum fundamentalem haud impingit; multoque minus talem, de qua forte adhuc ſub iudice lis eſt, quamue nondum tota Eccleſia damnauit. Add. *Mand. Elect. Sax. de uſu, & abuſu, Elenchi,* nouiſſime promulgatum.

§. XII. Sed & illud Parocho ſtudioſe uitandum, ne, cum auditorum ſcandalo, in propria cauſa, elencho abutatur, daß er nicht aus Zorn und eigener Rachgier, ſeine eigene

Sa-

Sache auf die Cantzel trage. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 3. n. 68.* aut eos, quorum mores perſtringit & increpat, uel nominet, uel ita depingat, ut, quos indigitet, quiuis intelligat, & quaſi manibus palpare queat; daß er ſie nicht mit Nahmen nenne, oder ſonſt alſo abmahle, daß iedermänniglich, wer ſie seyn, wohl verſtehen könne, uti habent uerba *Ord. Eccl. c. l.*

§. XIII. Secus ſi fecerit, arbitrarie punitur, imo & aliquando, ſi animus iniuriandi, qui tamen haud praeſumitur, appareat, parti laeſae, ad deprecationem, ſimilemue ſatisfactionem, tenetur.

§. XIV. Inprimis, in concionibus habendis, Parochus ſequatur exemplum Apoſtoli *Pauli*, & cogitet, quod regnum Dei non conſiſtat in uerbis, ſed in efficacia. *1. Cor. IV. 20.* & *1. Cor. II. 1.* Neque uerbis magnis, & altitudinem ſpirantibus; ſed in demonſtratione Spiritus & Veritatis, Euangelium praedicari debeat. *1. Cor. I. 17.*

§. XV. Vnde magnopere falluntur, & alios fallunt, qui, ex concionibus, opus operatum faciunt, & magis intereſſe ſuum, ſiue exiſtimationis, ſiue pecuniarium, quam audientium ſalutem, intendunt.

§. XVI. Abſit etiam longiſſime, a Parocho, libido dominatum in conſcientias exercendi; quem qui affectant, reuera in Di-

unae

uinae Maieſtatis Reſeruata inuolant. Huius enim ſolius eſt, hominum conſcientiis imperare. *2. Cor. I. 21.* & *1. Petr. V. 3.*

§. XVII. Sit quoque Paſtor pacis amans, atque ab altercationibus & rixis alienus. Vnde nihil minus ipſi conuenit, quam proceſſibus, praeſertim iniuriarum, alios, ſigillatim parochianos, fatigare. Quos & Magiſtratus, officium ſuum interponendo, quouis modo impedire debet.

§. XVIII. Ad decorum Parochi inprimis ueſtitus pertinet, qui nigri coloris, & a ueſtimentis laicorum diſtinctus eſſe ſolet. Collaria, alibi tubulata, ut Lipſiae, alibi plana, in uſu ſunt. Quae diſtinctio, intuitu externi habitus, inter clericos & laicos, etſi tempore Apoſtolorum, & in primitiua Eccleſia, haud obtinuerit, ſemel tamen, ex libertate Chriſtiana, recepta, temere mutari non debet; praeſertim cum talis mutatio, ſine infirmiorum ſcandalo, fieri haud queat.

§. XIX. Capillis aſcititiis uti, uel non uti, ad res adiaphoras pertinet. Dedecet tamen Parochum nimius nitor, & affectata elegantia, praeſertim eo tempore, quo functionem ſuam in Eccleſia obit.

§. XX. Non immiſceat ſe Paſtor negotiis ſecularibus, *1. Tim. III. 3. & 8. 2. Tim. II. 4.* Vitet commiſſationes, neque, cum aliorum

ſcandalo, comoediis & choreis facile interſit; multoque minus publicas tabernas frequentet; ſed potius, publice, priuatimque, curam animarum, quae ipſi commiſſae ſunt, diligentiſſime gerat.

§. XXI. Denique id agat, ut, quoad per ipſum fieri poteſt, quisque parochianorum, ipſius exemplum & ductum ſecutus, ſupremi Paſtoris, JEſu Chriſti, ouile, recto tramite, ingrediatur.

CAPVT IV.

DE IMMVNITATIBVS ET PRIVILEGIIS PAROCHORVM.

§. I.

INter priuilegia Paſtorum inprimis eminet forum; quod regulariter non ſortiuntur coram Patrono, neque coram Magiſtratu ſeculari, ſed coram Magiſtratu Eccleſiaſtico, ſeu Conſiſtorio.

§. II. Exemtio haec, a Iurisdictione Ciuili, non eſt Iuris Diuini, ſed humani, adeoque mutationi obnoxia. Vnde, quibusdam in locis, Paſtores Senatus Oppidani, uel etiam Patroni, Iurisdictionem agnoſcunt. Id quod, ad peculiarem conſuetudinē, referri debet.

§. III. Neque etiam intelligenda de Magiſtra-

ſtratu Summo, penes quem Maieſtas, uel Superioritas Territorialis, eſt. Huic enim omnes, qui in Republica, uel ciuitate, exiſtunt, cuiuscunque conditionis ſint, ſubiiciuntur. Idque non tantum praeceptum Diuinum, *Rom. XIII. 1. ſeqq.* ſed & ipſa indoles Ciuitatis, clariſſime euincit.

§. IV. Non igitur ferenda Pontificiorum hypotheſis, iuxta quam Clerus, ab omni poteſtate Ciuili, etiam Summa, ſe exemtum iactat, & aliud ſummum caput, extra ciuitatem, nempe Pontificem Rom. agnoſcit; quo ipſo, ſtatum in ſtatu formari, & praecipuum ius ſummi imperii, quod circa ſacra uerſatur, interuerti, manifeſtum eſt.

§. V. Neque adeo Principibus Euangelicis, per reformationem, ius ſummum, circa ſacra, demum acquiſitum, ſed tantum poſtliminio reſtitutum eſt.

§. VI. Reſtringendum uero eſt Forum priuilegiatum Parochorum. ad actiones perſonales, in quibus partes reorum ſuſtinent.

§. VII. Huc etiam Cauſae cambiales, die Wechſel-Sachen, referri debent; de quibus in Saxonia Elect. inprimis notari meretur *Mandatum Elect. Sax. d. ann. 1711.* ubi cautum, quod tales literae nullum effectum cambialem ſortiri, ſed tantum, ut nuda chirographa, ualere, Miniſtri Eccleſiae uero,

 item

item Scholae, nec non Custodes, qui eas dederunt, poena suspensionis, uel remotionis ab officio, coërceri debeant.

§. VIII. Sed & Concursus creditorum, aduersus Clericum excitatus, ad forum ecclesiasticum pertinet.

§. IX. Extenditur hoc fori priuilegium etiam ad Parochi uxorem, & liberos, imo & famulitium eius; nec non dotales, die Pfarr-Bauern. Vid. *c. 69. caus. 12. qu. 2.* Nisi aliud usu receptum sit.

§. X. Cessat uero priuilegiatum hoc forum 1) in actionibus personalibus, ubi Parochi contra alios experiuntur. Actor enim, etsi alias priuilegiatus, forum rei sequi tenetur, *L. 2. C. de iurisdict. omn. iud.* Nisi forte res, seu causa, de qua litigatur, sit ecclesiastica. Tunc enim, etiam laicus, a Clerico, coram Consistorio, recte conuenitur.

§. XI. Cessat 2) in Interuentionibus; quando nimirum Pastor liti, inter alios coram iudice seculari agitatae, interueniendo se immiscet. Interuentio enim semper adstricta est ad forum, ubi causa principalis uentilatur.

§. XII. Cessat 3) in actionibus realibus, ubi, non attenta persona, sola possessio rerum ciuilium spectatur. Vid. *C. 1. d. priuileg. in 6.* In

his

his igitur Clericus, coram foro rei ſitae, quamuis iudex ſecularis ſit, conueniri poteſt, ibique reſpondere tenetur. Citari tamen non aliter debet, quam mediante & requiſito Iudice Eccleſiaſtico. Add. *Ord. Eccl. Sax. tit.* von *Immunitatibus* und Freyheiten. §. Was aber.

§. XIII. Ceſſat 4) in Criminalibus; quando uel tortura, uel poena corporis afflictiua, uel relegatio, executioni mandanda eſt. Ipſa enim inquiſitio, propter crimen, ſiue generalis, ſiue ſpecialis ſit, ad forum eccleſiaſticum pertinet.

§. XIV. Multoque minus dubitandum, leuiorum delictorum, quae exceſſuum nomine uenire ſolent, coërcitionem eiusdem fori eſſe.

§. XV. Imo generaliter omnes poenae canonicae, quae in mulcta, carcere, ſuſpenſione, & remotione ab officio, inprimis conſiſtunt, a Magiſtratu Eccleſiaſtico Parochis infliguntur.

§. XVI. Foro ſuo priuilegiato renunciare poteſt Clericus, Iure Ciuili, *L. 29. C. d. pact. L. 51. C. d. Epiſc.* Non autem Iure Canonico, *C. 12. X. d. for. compet.* Quod hodie paſſim etiam Euangelici ſequuntur.

§. XVII. Alterum Parochorum priuilegium conſiſtit in immunitate ab oneribus



personalibus, ne scil. si his uacare debeant, in cura animarum impediantur. *Ord. Eccl. Sax. tit.* von *Immunit*äten. §. Darneben sollen.

§. XVIII. Quae tamen rursus iuris humani, non Diuini est. *Rom. XIII. 7. Matth. XVII. 25. & 27.* Adeoque, ad beneficia a Summis Potestatibus, ex munificentia & liberalitate, concessa, referri, nec tamen facile adimi, aut imminui, debet.

§. XIX. Huius generis est onus excubiarum, Wachen, sequelae, die Gerichts-Folge, it. pecora pascendi; si forte alicubi receptum, ut, suo quisque ordine, hoc onus subeat, ut, suo quisque ordine, hoc onus subeat, quod uocari solet, die Zech-Huth. Ratio redditur in *tit. Ord. Eccl. art. gen. 40.* §. Mit der Vieh-Hut. *ibi:* Denn, weil solche Personen zum Kirchen-Dienst beschieden und verordnet sind, und warten müssen, welche Stunde sie zum Kind-Tauffen, oder zu denen Krancken in Todes-Nöthen erfordert werden, können sie nicht zugleich ihres Amts warten, und auch des Viehes hüten. Sed, si communibus sumtibus pastor pecorum ab uniuersitate alatur, suam quoque ratam Parochus, cum aedituo, conferre tenetur. *Ord. Eccl. c. l.* §. Da man aber.

§. XX. Eodem pertinet immunitas a praestatione metatorum, seu hospitiorum, quae mili-

militibus praebentur, von der Einquartirung. Etsi fatendum, quod hoc onus non mere personale, sed mixtum sit; ne Parochus in studiis a milite turbetur. add. *Carpz. Jprud. Eccl. L. 1. def. 123.*

§. XXI. Restringitur tamen hoc priuilegium ad aedes Parochiales, Pfarr-Wohnungen. Nam, si Parochus priuatas aedes inhabitet, ab actuali quidem militis receptione immunis est; sed tamen loco eius, pecuniam, quae uulgo *Seruice* audit, soluere tenetur. Vid. *B. Horn. in annot. ad Schilt. Inst. Iur. Can. L. I. t. 18. §. 10.*

§. XXII. Contra ea, ab aliis oneribus realibus & patrimonialibus, Clerici, quatenus bona priuata possident, liberi haud sunt, sed iisdem perinde, ut laici, subiiciuntur.

§. XXIII. Quod tamen non extendendum ad consumtibilia. Onera enim, quae his imponuntur, Clerici non ferunt. Unde regulariter ab *Accisa*, quam uocant, immunes sunt, huiusque intuitu soluta repetunt. Vid. Chur-Fürstl. Sächß. *Accis*-Ordnung. *tit.* allgemeine Regel, §. 2.

§. XXIV. Praeterea Parochi, ut & ministri scholarum, atque aeditui, imo & catechetae, si confirmati sint a Consistorio, hoc priuilegio gaudent, ut potus ipsorum a collectis liber sit, es ist ihr Geträncke, das

sie für ihren Tisch zur Nothdurfft brauen, oder sonst bey Faßen, Vierteln, oder Tonnen, einlegen, und andern bey Kannen, oder sonsten, nicht verkauffen, aller Auflagen frey. Vid. *Ord. Eccl. c. l.* §. So wollen wir auch. *Carpz. Iurisprud. Eccl. L. I. def. 139. seqq.*

§. XXV. Olim haec immunitas erat indefinita, neque ad certum numerum doliorum restricta; sed talis restrictio deinceps facta, primo per *Declarationem d. anno 1646.* & deinde per *Resolutionem Grauaminum d. anno 1661. Tit.* von *Justitien*-Sachen. §. *120.* daß nemlich iedem Superintendenten 8. denen Pastoribus und Archi-Diaconis in grossen Städten 6. denen andern Diaconis und Pfarrern 5. denen Rectorn und Con-Rectorn in Städten 4. und denen andern Schul-Collegen und Organisten in Städten 3. denen Schulmeistern und Glöcknern aufn Lande aber iedem 2. Faß, frey passiren sollen.

§. XXVI. Ne fraus committatur, schedula aerario offerenda, der Frey-Zettel, subscriptione Superintendentis, & alicubi etiam Quaestoris, muniri debet. Vid. *Decret. Synod. d. anno 1624.* §. Insonderheit aber, *in fin.*

§. XXVII. Quodsi Parochus duplici munere Pastoris fungatur, numerum quoque doliorum, quae a Collecta cereuisiaria exemta sunt, duplicari, aequum est; cum haec immunitas

nitas, intuitu laborum, & functionum ecclesiasticarum, competat. *Carpz. c. l. def. 151.* Quod, etsi *Resolutioni Grauam. c. l. uerb.* Noch das beneficium zweyfach geniessen, contrarium esse uideatur, tamen hodienum in usu esse, testatur, & praeiudiciis comprobat *B. Beierus, in Addit. ad Carpz. c. l.* Imo id etiam, ad Ecclesiam filiam, extendit *Schilt. Inst. Iur. Can. L. I. t. 18. §. 13. in not.* Quod tamen, apud nos, in usu haud est.

§. XXVIII. Generaliter Pastores, iisdem iuribus, quibus alii incolae, fruuntur; sigillatim iure pascendi & adaquandi, Wasser und Weyde, non tamen aliter, quam cuiusque loci instituta ferunt. Vid. *Ord. Eccl. Sax. tit.* von Freyheiten. §. Sie sollen. *ibi:* Doch mit des Flecken Maß und Ordnung.

§. XXIX. Inter beneficia Pastorum & hoc est, quod aegris, uel emeritis, certa prouisio, ut uulgo audit, unde se sustentent, constitui soleat.

§. XXX. Vbi distinguendum, utrum Pastor morbo, ad tempus duraturo, an sontico, & desperato, laboret. Priori casu salarium retinet; ut tamen illis, qui interim eius munia obeunt, ex aequo & bono, arbitratu Superintendentis, satisfaciat. *Ord. Eccl. Sax. l. c.* §. Wo sich denn.

§. XXXI. Posteriori autem casu, quando

nimirum Parochus, uel propter ſenium, uel morbum incurabilem, officio ſuo amplius fungi nequit, Succeſſor eidem datur, & ipſe prouiſionem, ad dies uitae, accipit, Er bekommt ein Leib-Geding ſein Lebenlang. *Ord. Eccl. Sax. c. l. §.* Im Fall aber.

§. XXXII. Limitatum tamen hoc beneficium, in *Reſol. Grau. d. A. 1609. tit.* von *Conſiſtorial*-Sachen. Ut non, niſi pauperes Eccleſiae Miniſtri, quiue ſibi familiaeque ſuae alendae pares haud ſunt, eodem frui debeant.

§. XXXIII. Hoc etiam *c. l.* cautum, ut prouiſio, ſi fieri poſſit, ex reſiduis prouentibus parochialibus, uel contributione a parochianis facienda, in ſubſidium uero demum, ex ſalario Succeſſoris, conſtitui, & hoc caſu, non dimidium eius excedere debeat; ne Succeſſor in officio nimis ad anguſtias redigatur.

§. XXXIV. Saepius etiam contingit, ut Parochus, non quidem plane inhabilis ſit, ad munus ſuum obeundum, neque tamen ſolus eidem amplius ſufficiat; hoc caſu, non plane dimittitur, ſed Subſtitutum accipit; cui regulariter tertia pars redituum tribui, reſiduum autem Paſtori ſeniori relinqui ſolet; niſi inter utrumque aliter conuenerit; quod plerumque, auctoritate Conſiſtorii, fieri

fieri consueuit, & tunc fidem seruari, non uero huius generis pacta, ut non raro a Substitutis fieri solet, postea impugnari, par est.

§. XXXV. Ordinem quod attinet, & ius proedrias Clericorum, nihil de hoc Iure Diuino cautum. Vid. *Marc. X. 35. seqq.* Cumque omnis anima Supereminenti Potestati, in Republica, subiecta esse debeat, male illud Pontifices Rom. ante ipsos Imperatores & Reges, usurpant.

§. XXXVI. Ne tamen confusio oriatur, certus ordo, non tantum inter Politicos & Clericos, sed & inter hos ipsos, recte seruatur, uel lege, uel consuetudine & usu, definitus; quem Pastores etiam tueri, nihil habet, a ratione, & Christianorum institutis, alienum; modo nihil, ex ambitione, quae scabies ingenii humani est, fiat.

§. XXXVII. Nihil uero turpius est, & magis a Clerici persona abhorret, quam, instituto processu, super ordine, seu praecedentia, cum aliquo, iudicio contendere; cum tales lites, tantum non semper, cum infirmiorum scandalo coniunctæ sint. Magis consultum fuerit, rem simpliciter ad Consistorium deferri, &, quid illud decernere uelit, modeste expectari.

§. XXXVIII. Porro, in hercifcunda hereditate

ditate materna, apud Saxones, melior eſt conditio Clerici, quam laici. Hic enim perinde, ut filiae, geradam maternam capit, reliquis filiis excluſis. *LandR. L. I. art. 5.* Idem, de auiae gerada, dicendum. Vid. *Enunc. Noſtr. nouiſſ. P. I. Enunc. 129.* Contra ea, de Heergewetta, Clericus nihil participat. *LandR. l. c. & art. 27.* Qua tamen fere ſemper, geradam magis opimam eſſe, conſtat.

§. XXXIX. Exemti quoque ſunt Clerici a iuribus loci ſtatutariis. Unde, ſi moriantur, ſucceſſio, in eorum bona mobilia, fit iuxta Ius Commune; haec enim perſonam ſequuntur, eiusque uelut oſſibus adhaerent; in immobilibus uero peculiari iure haud utuntur, ſed, in his, ipſis ſucceditur, ſecundum iura loci, ubi ſita ſunt.

§. XL. Quodſi Paſtor, aliusue Clericus, ſine herede decedat, bona eius uacantia, ſiue mobilia, ſiue immobilia ſint, capit Eccleſia, ubi ſacrum miniſterium exercuit; non Magiſtratus Ciuilis, etſi iure fiſci gaudeat. *L. 20. C. d. Epiſc. & Cler.*

§. XLI. Egregium quoque & ſingulare priuilegium eſt, quo, plerisque in locis, ſigillatim in Saxonia, defuncti Paſtoris uidua & liberi, gaudent; ut nempe, intra certum, poſt mortem eius, ſpatium, quod tempus gratiae uocatur, ſalarium ceterosque reditus

tus parochiales, percipiant. Quod tempus' alicubi annuum, apud Saxones uero, semestre est. Vocatur das halbe Gnaden-Jahr. *Ord. Eccl. Sax. c. l. §.* Und zu fernerer Gnade.

§. XLII. Beneficium hoc non defertur, iure hereditario, sed ex speciali gratia. Unde consequitur, illud deberi, etsi uidua & liberi, demortui Pastoris, heredes facti non sint; neque aes alienum ipsius de hoc esse exsoluendum, neque arrestum, propter debitum defuncti, in eodem, locum habere.

§. XLIII. Terminus a quo, huius temporis gratiae, est regulariter finis illius anni quadrantis, desjenigen Quartals, in quo Pastor fato est functus. Hic enim pro completo habetur. *arg. L. 5. ff. d. annuis legat. & fideicomm.* Sed in Sax. aliud hodie obtinet; tum propter expressum textum *c. l. ibi:* von Zeit seines Absterbens an; tum ui peculiaris Mandati *d. A. 1721.* ubi initium statim, a tempore mortis, computari iubetur.

§. XLIV. Dubitatum olim fuit, quomodo, inter uiduam & liberos, reditus diuidendi essent; sed hoc dubium sublatum, per *Decis. El. 48.* ubi cautum, quod diuisio semper, in capita, fieri debeat.

§. XLV. De modo computandi reditus,

non

non una eſt ſententia; de quo uid. *Obſ. noſtr. For. P. VII. Obſ. 40.* Communiter, & iuxta praxin, in Conſiſtoriiis Sax. receptam, calculus ita inſtituitur, ut omnes fructus & cenſus, per totum annum, tam in matre, quam in filia, collecti, a feſto Michaelis, ad eundem terminum anni ſequentis, von Michaelis, biß wieder zu Michaelis, computentur, eorumque dimidiam partem, uidua & liberi defuncti Paſtoris, alteram uero dimidiam, eiusdem Succeſſor, capiant; illis tamen, quorum dies breui poſt uenit, ſimul ad Michaelis terminum retrotractis: Nemlich, was von Decem, an Getreide, auch Geld-Zinßen, zum Einkommen gehöret, werden gerechnet, daß ſie Michaelis verdienet, ob ſie ſchon erſt um Martini, Weyhnacht, und Faſtnacht, gefällig. Was aber um Walburgis gefällig iſt, wird geachtet, daß es, als eine halbe Jahres Beſoldung, von Michaelis aufs neue verdienet ſey. *B. Beierus in Addit. ad Carpz. Iurisprud. Eccl. L. I. def. 173.*

§. XLVI. Vbi tamen notandum, 1) quod ligna, das Brenn-Holtz, Gnaden-Baum, cenſeantur in futurum tempus praeſtari, 2) quod intuitu collectae cereuiſiariae, der freyen Tranck-Steuer, terminus a quo ſit Dominica Quaſimodogeniti. *B. Beierus c. l.*

§. XLVII. Accidentia tamen, ut uulgo appel-

appellantur, Hochzeit-Tauff-Begräbniß-Gebühren, quae, intra dimidium annum gratiae, percipiuntur, integra uiduae, atque liberis, defuncti Pastoris, cedunt, neque de his nouus Pastor participat. *Ziegler. d. Superintend. c. 30. n. 3. & 4.*

§. XLVIII. Quodsi defunctus Pastor emeritus fuerit, uel saltem Substitutum habuerit, aequissimum est, non plus, nec minus, per dimidium annum gratiae, a uidua & liberis percipi, quam defunctus perceperat, residuum uero, Successori in officio, uel Substituto, relinqui.

§. XLIX. Quoad liberos, qui salario semestri fruuntur, nulla est differentia, utrum adhuc in patria potestate sint, an emancipati & elocati; item, utrum primi, an ulterioris, gradus sint. Hi tamen, non iuxta numerum personarum, sed stirpium, de illo participant.

§. L. Restrictum uero est hoc beneficium, ad solos descendentes. Unde ascendentes, & collaterales, ab eodem excluduntur.

§. LI. Quamobrem, si Pastor, absque uidua & liberis, decesserit, in arbitrio Consistorii est, cuinam hos reditus assignare uelit; utrum aerario Ecclesiastico, aut Successori, an uero illis, qui interim munus uacans administrarunt, cedere debeant.

§. LII.

§. LII. Restrictum etiam ad uiduam; unde, ad sponsam relictam, commode extendi nequit; cum uiduae nomine proprie haud ueniat. Consultum tamen, ut, remedio supplicationis, propter rationes, quas *Schilterus Inst. Iur. Can. L. I. t. 18. §. 29. in annot.* suggerit, utatur.

§. LIII. Renunciatio, aliudue pactum, defuncti Pastoris, intuitu huius beneficii, uiduam & liberos haud stringit; nisi eius heredes fiant, tunc enim, ut alia eius facta, ita & hoc praestare tenentur. Vid. *L. 14. C. d. R. V.*

§. LIV. Quod impensas attinet, ad has uidua atque liberi, nec non Successor, pro rata tenentur.

§. LV. Sicuti uero, eo momento, quo Pastor moritur, uiduae & liberis ius, salarium semestre percipiendi, quaesitum intelligitur, ita, si contingat, eos, ante finitum semestre tempus, mori, illud ad heredes suos transmittunt. *Enunc. Nostr. Nouiss. P. II. Enunc. 500.*

§. LVI. Pertinet hoc beneficium, ad solos Pastores, atque Diaconos. *Ord. Eccl. Sax. c. l.* Igitur eodem, custodum, organoedorum, scholarumque ministrorum, uiduae & liberi, non gaudent; nisi aliud, consuetudine speciali, introductum sit. In Academiis tamen

men Professores etiam eodem frui solent.

§. LVII. Denique per se patet, supponi, Pastorem in munere suo decessisse. Eodem igitur non gaudet, qui vel remotus, uel ad aliud munus prouectus est.

§. LVIII. Praeterea, cum tutela & cura munus publicum sit, quod regulariter nemo, nisi legitimam excusationem habeat, declinare potest, immunitas clericis ab hoc onere competit, & in eorum arbitrio hodie est, utrum illud subire, an recusare, uelint. *Ord. Eccl Sax. tit.* Von *Immunit*äten. §. Darneben. Jure Ciuili, ne uolentes quidem, ad hoc munus admittuntur. *Nou. 123. c. 5. auth. presbyteros. C. d. episc. & cler.*

§. LIX. Pristinis temporibus, cum diffidationes & bella priuata, inprimis durante magno illo interregno, post Friderici II. Imp. mortem, in usu essent, Clerici, iure treugae & pacis, ut uocabatur, gaudebant, neque belli incommoda perinde, ut alii, experiebantur.

§. LX. Competit etiam Clericis facultas, ius ciuitatis municipalis, si uelint, acquirendi, & bona propria, in solatium uxoris & liberorum, sibi comparandi, modo id eos, in administrando munere sacro, haud impediat, & nihil, ipsorum personis indignum, committant. *Ord. Eccl. Sax. c. l.* §. Zu dem

§. LXI. Sigillatim, de iure uendendi cereuisiam, uel uinum, tenendum est, quod eo casu, ubi uinum in proprio fundo natum, uel ius uendendae cereuisiae parochialibus, aut propriis, aedibus, inhaeret, uendere quidem Clericus possit, bey Faßen, Eymern, und Tonnen, sed abstinere debeat, von Schencken, Zeichen ausstecken, oder Gäste zur Zeche im Hause zu setzen. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 16. §.* Daß aber. *seqq.*

§. LXII. Inter beneficia Pastorum & hoc est. quod ipsis gratuita habitatio debeatur, freye Wohnung; quem in finem comparatae sunt aedes parochiales, die Pfarr-Häuser, quae dum exstruuntur, uel reparantur, illa interim ipsis aliunde praestanda.

§. LXIII. Tenentur uero Pastores, suis sumtibus, tales aedes sartas & tectas conseruare, Sie müssen die Pfarr-Wohnung in Dach und Fach erhalten. *Resol. Grau. d. anno 1661. tit. Consistorial-*Sachen. §. *28.* Quod, quem in modum intelligi debeat, distincte exponitur in *art. gen. 32. Ord. Eccl. Sax.* Sed sumtus maiores, inprimis, qui in perpetuam earum utilitatem fiunt, aerario ecclesiastico, uel in subsidium Parochianis, incumbunt. *Decret. Synod. d. anno 1624.* §. Wir erfahren.

§. LXIV. Vbi obseruandum, quod, quando onus sumtuum, ab aerario, ferendum, apud

apud Saxones hi non excedere quinque florenos debeant absque praescitu Superintendentis, alias inter expensa, in rationes ecclesiasticas referri nequeant, per expressam dispositionem, *cit. Decret. Synod.* §. Und weil.

§. LXV. Ius, quod Pastores in aedibus parochialibus habent, magis ad usum, quam usumfructum, accedit. Vnde consequitur, eas regulariter ab ipso Pastore, inhabitari, non uero aliis seorsim locari, debere; quod & expresse prohibitum in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 32.* §. Es soll auch. *seq.* Imo & in hoc deterioris conditionis est Pastor, quam usuarius, quod hic inquilinos recipere possit, si ipse simul domum inhabitet. §. *2. l. d. Us. & habit. L. 4. & 8. ff. eod.* non uero Parochus. *cit. text.*

§. LXVI. Excipiuntur tamen duo casus, 1) si praescitu atque consensu Patroni & Seniorum Ecclesiae, derer Kirch-Väter, proprias aedes Pastor inhabitet, 2) si in Ecclesia filia peculiares aedes parochiales existant, quas utique locare licet. Vtraque limitatio expresse habetur in *cit. art. gen.* §. Desgleichen. *seqq.*

§. LXVII. Vnde, ne quidem nuptias, in domo parochiali, celebrare fas est Pastori, nisi consensu Consistorii; qui non impetra-

ri ſolet, niſi hac cautione adhibita, ut Parochus, de periculo & damno, ſi quod inde oriatur, praeſtando, caueat.

§. LXVIII. Ad priuilegia Clericorum & illud pertinet, quod ab onere detractionis, Nach-Steuer, Abzugs-Geld, etiam quoad bona priuata & patrimonialia, immunes ſint. *Auth. item nulla communitas. C. de Epiſc. & Cler.* Add. *Schwederus Introd. Iur. publ. Part. ſpec. ſect. 2. c. 15. §. 5.* & *Obſeruat. noſtr. Forenſ. p. III. obſ. 116.*

§. LXIX. Neque etiam in cauſis iniuriarum poena carceris, quae in Mandato Regio atque Electorali Sax. *de Duellis & propria uindicta, d. anno 1712. §. 19.* conſtituta eſt, in Clerico locum habet; ne per illam animarum cura impediatur, & uicini Paſtores nouum onus, in adminiſtrandis interim actibus miniſterialibus, ſubire cogantur. Vid. peculiare *Mandatum d. anno 1713.* quod extat in *Obſeruat. Forenſ. P. IV. Obſ. 54.*

§. LXX. Ceterum, a modo procedendi, in laudato *de Duellis Mandato*, §. 22. praeſcripto, Clerici, ſi iniuriam alicui inferant, exemti haud ſunt, ut tamen contumaces non praeciſe ſub poena confeſſi & conuicti citari debeant, ſed citatio ſub poena canonica fieri poſſit. *Obſ. For. P. V. Obſ. 10.*

§. LXXI. Imo & competentiae beneficium

um Clericis denegari non posse, puto, exemplo militum terrestrium, a quibus merito argumentum ducitur. Vid. *Richter. P. I. decis. 24. n. 4.* Quamobrem, si in Pastoris obaerati bonis Concursus creditorum oriatur, non tenetur ultra, quam facere potest, h. e. necessaria uitae alimenta eidem relinqui debent.

§. LXXII. Vltimo loco, inter priuilegia Clericorum, & illud commemorandum, quod de bonis suis ecclesiasticis, aliis Clericis, decimas non praestent, iuxta regulam: Clericus clericum non decimat; cuius sedes est in *C. 2. X. d. decim.* ubi simul limitatio, de Clericis minoribus; de quo extat peculiaris *Disp. B. Hornii, de Clerico clericum non decimante.*

CAPVT V.
DE
OFFICIO PASTORIS CIRCA ADMINISTRATIONEM SACRAMENTORVM, SPECIATIMQVE BAPTISMI.

§. I.

SAcramenti uox hic specialissime sumitur; prout notat actionem diuinitus institutam, qua Deus sub uisibilibus signis, inuisibi-

ſibilem gratiam, & bona coeleſtia, nobis obſignat & exhibet.

§. II. Conſtat quodlibet Sacramentum, partim re corporea, ſeu elemento, partim re coeleſti, ſeu uerbo.

§. III. Quamobrem fides Sacramentum accipientis, ad eius integritatem & ſubſtantiam non requiritur; quamuis ad ſalutarem eius uſum omnino neceſſaria ſit.

§. IV. Sacramenta ſunt uel Veteris, uel Noui Teſtamenti. Illa fuerunt, Circumciſio, & Agnus paſchalis; haec ſunt, Baptiſmus, & Coena Dominica. His enim ſolis definitio Sacramenti competit.

§. V. Prius de Baptiſmo, qui Sacramentum initiationis conſtituit, dicendum; qui iuxta uim uocis, βαπτίζειν, quamuis lotionem, ſiue immerſione, ſiue aſperſione aquae, fiat, ſignificat.

§. VI. Deſcribitur, quod ſit Actio, diuinitus inſtituta, qua homo, per lauacrum aquae, & uerbum, regeneratur, & heres omnium bonorum coeleſtium conſtituitur.

§. VII. Suprema cognitio, de adminiſtratione Baptiſmi, iuxta inſtitutionem diuinam, nec non determinatio loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum, eſt pars ſummae poteſtatis circa ſacra, unde de his paſſim leges eccleſiaſticae ferri ſolent.

§. VIII.

§. VIII. Officium baptizandi, quod Ecclesia, a Christo Saluatore, accepit, exercet ordinarie per ministros suos; in casu necessitatis uero, per quemuis; etiam feminam, ut hodie, per obstetrices.

§. IX. Neque etiam interest, cui religioni addictus, aut quibus moribus praeditus sit minister, qui baptizat. Namque efficacia Sacramenti, non a conditione,& dignitate, personae administrantis, sed instituentis ordinatione, atque diuina uirtute dependet.

§. X. Vnde etiam, ab impio Pastore, imo & haeretico, atque pagano, collatus baptismus ualidus est, neque iterandus; si modo forma, a Christo praescripta, ab eo rite obseruata fuerit.

§. XI. Consultius tamen est, talem non adhiberi; nisi ubi necessitas exigit, & copia alius deficit. Quo pertinent uerba *Lutheri*, relata in *Ord. Eccl. tit.* von der Tauffe. Derohalben es auch wohl billig ist, daß man nicht trunckene und tolle Pfaffen tauffen lasse.

§. XII. Neque uero subditi, qui in anno decretorio 1624. exercitium suae religionis, nec publice, nec priuatim, habuerunt, impediri queunt, quo minus, liberos suos, Pastoribus suis sacris addictis, atque in uicinia constitutis, baptizandos offerant. *Instr.*

Pac. Osnabrug. & Monaster. art. 5. §. 34. ibique Henniges in annot.

§. XIII. Olim Episcopi tantum, & Presbyteri, ius dandi baptismum habebant; postea uero id etiam Diaconis concessum; de quo apud Protestantes eo minus dubitandum, quod, quibusdam in locis, ut hic Wittebergae, soli Diaconi, excluso Pastore, baptizare soleant.

§. XIV. Minister, qui baptizat, non tantum uocatus, sed & ordinatus, esse debet. Unde nec aeditui & custodes, Küster, Schulmeister, extra casum necessitatis, Baptismum conferre queunt; si id audeant, poenam arbitrariam incurrunt, *Decret. Synod. de A. 1624. in Corp. Iur. Eccl. Sax. p. 335. & p. 373.*

§. XV. Neque etiam Pastori, in aliena parochia, extra eundem necessitatis casum, sine ordinarii Parochi permissu, baptizare licet; secus qui fecerit, honorarium acceptum eidem restituit, & simul arbitrarie punitur.

§. XVI. Intentio Ministri, inter requisita Baptismi, non aliter cum Pontificiis referri potest, quam eo sensu, ut excludatur actus iocosus & impius; qui utique pro uero Baptismo haberi nequit. De cuius poena uid. *Carpz. in Prax. Crim. quaest. 45. n. 96. & P. IV. Const. I. def. 10. n. 2. & 5.* Alias enim nemo cer-

certus esse posset, quod uere baptizatus sit.

§. XVII. Si parentes, ex quibus proles baptizanda progenita est, diuersae religioni addicti sint, Baptismus ab eius religionis Pastore peragitur, in qua infans educari debet; regulariter autem spectanda religio patris, nisi pactum, uel consuetudo loci, obstet. In Sax. El. Romano-Catholicis & Reformatis matrimonium non aliter permitti solet, quam praeuia promissione, de liberis, in Lutherana religione, educandis.

§. XVIII. Sicuti uero pater laicus, & mater, ubi necessitas urget, baptizandi officio ualide fungitur, ita se ipsum nemo baptizare potest. Unde Se-Baptistarum secta merito reiicitur. Hic enim locum habere debet regula: Non priuatio, sed contemtus damnat. *c. 4. X. de baptism.* ubi refertur casus de Iudaeo, qui, in articulo mortis constitutus, se in aquam immersit, dicens: *Ego me baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus S.*

§. XIX. Videamus nunc, quinam baptizari possint, ac debeant. Pertinent uero huc soli homines uiui, & quidem omnes, qui in Ecclesiae gremium, & foedus cum Deo, recipi cupiunt; siue praesumtiue, siue expresse, in id consentiant; propter uniuersale dictum Christi *Joh. III. 5.* nisi quis natus

 fue-

fuerit, ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum coelorum.

§. XX. Praeſumtus conſenſus exiſtit in infantibus, in quibus fides, uirtute Spiritus S. excitatur per Baptiſmum. Cuius paedobaptiſmi neceſſitatem atque utilitatem dudum Theologi, aduerſus Anabaptiſtas, eorumque aſſeclas, luculenter euicerunt.

§. XXI. Hinc, cum alibi, per Leges eccleſiaſticas, tum ſigillatim etiam in Saxonia, parentes, liberos ſibi natos, ſine mora, baptiſmo offerre, neque id ultra biduum differre iubentur; ſub poena, ad pios uſus impendenda, unius uel dimidiae ſexagenae, bey Straffe eines, oder auch halben guten Schockes, prout nempe illa, ex circumſtantiis, augenda uidetur. *Corp. Iur. Eccl. Sax. p. 335. & p. 373.*

§. XXII. Neque intereſt, utrum liberi, ex iuſtis nuptiis, an ex illegitimo concubitu, nati ſint. Vnde Parochus, cui talis infans baptizandus offertur, non prolixum examen, de uero illius patre, inſtituat, ſed eundem, ſine mora, baptizet, poſtea uero rem magiſtratui denunciet, cuius eſt, in delicta inquirere, eaque poenis debitis coërcere. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 6.* §. Demnach.

§. XXIII. Etſi uero Baptiſmus iterari non de-

debeat, quando tamen incertum eſt, an infans, u. g. expoſitus, baptizatus ſit, in dubio baptizari debet, neque in re tam graui, ſolius matris, praeſertim leuis notae & ſubleſtae fidei, teſtimonium, de collato baptiſmo, ſufficit, de quo uid. *Sel. Obſ. noſtr. P. III. Obſ. 55.* cum adiectis ibi Reſponſis.

§. XXIV. Quid uero, ſi parentes Chriſtiani, ſcrupulo conſcientiae, quamuis inani & uano, moti, quod forte cum Anabaptiſtis ſibi perſuadeant, infantes baptizandos haud eſſe, ſed expectandum, donec annos diſcretionis, quos uocant, attigerint, licet moniti, recuſent, quid tunc facto opus? R. tali caſu, auctoritate Conſiſtorii, infans parentibus aufertur, & baptizatus, iisdem redditur; hi uero, circa uim, ut errorem ſuum exuant, monendi, & rectius informandi ſunt. Coactio enim, & mandata poenalia, nullam uim in conſcientias habent, neque ſunt media, ad homines conuertendos, apta.

§. XXV. Hinc etiam poena capitalis, in Anabaptiſtas, Iure Iuſtinianeo ſtatuta, *t. t. C. Ne ſanct. baptiſm. iter.* & confirmata in *Rec. Imp. d. A. 1629.* uix ad alios, quam ſeditioſos, quales Monaſterii, aliisque in locis, erant, applicari poſſe uidetur. Contra illi, qui, ſolius quaeſtus gratia, ſaepius bapti-

ptiſmum ſuſcipiunt, fuſtigationis poena, propter dolum, merito afficiuntur; quod delictum pro ſpecie ſtellionatus haberi poteſt. Add. *Boehmer. in annot. ad Schilt. L. II. t. 2. §. 4.*

§. XXVI. Neque ſolum Chriſtianorum infantes ſacro hoc fonte abluendi, ſed & illi, qui ex parentibus paganis, u. g. mancipiis, ſunt nati, ſi in Eccleſiae poteſtatem uenerint. Aliud dicendum, de infantibus Iudaeorum, qui parentibus inuitis eripi & baptizari nequeunt. Cum enim hi membra ſocietatis eccleſiaſticae haud ſint, eius legibus non perinde, ut Chriſtiani, tenentur.

§. XXVII. Circa liberos Cingarorum, der Zigeuner, cautio adhibenda, ne baptizentur, niſi recens nati, & quidem in loco natiuitatis; ut certum ſit, eos nondum baptizatos eſſe. Saepius enim hos, ab erronibus iſtis, baptiſmo, quaeſtus gratia, offerri, experientia docet. uid. *Ord. Pol. Sax. d. A. 1661. tit. 11. §. 4.* Add. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 6. §.* Dieweil ſich auch.

§. XXVIII. Sed & perfecte natus eſſe debet infans, ſi baptizari debeat; cum regenerari non poſſit, qui naturaliter natus haud eſt. *Ord. Eccl. Sax. cit. art. 6. §.* Es ſollen aber.

§. XXIX. Monſtroſus partus, contra formam

mam generis humani, quae inprimis ex capite diiudicatur, procreatus, inter homines haud referri, adeoque nec baptizari poteſt. Qua in re tamen, magna circumſpectione, & Conſiſtorii cognitione, opus.

§. XXX. Quodſi infantes Chriſtianorum, absque baptiſmo decedant, nihilo ſecius de eorum ſalute optime ſperandum, neque eccleſiaſtica ſepultura illis deneganda; ſecus atque Iure Can. conſtitutum eſt, quod tales in numero infidelium habet. Plane paganorum & Iudaeorum liberi, cum extra Eccleſiam nati ſint, diuino iudicio relinquuntur, & commendantur. Vid. *1. Cor. V. 12. ſeq.*

§. XXXI. Quodſi parentum culpa factum, ut Baptiſmus neglectus fuerit, arbitrarie puniuntur, ſpectato gradu culpae, utrum lata, leuis, an leuisſima, fuerit. Sin Parochus in culpa fuerit, iuxta Ius Can. ab officio remouetur. *c. 11. d. conſecr. diſt. 4.* Apud Proteſtantes poena eſt arbitraria; ut tamen, pro grauitate culpae, etiam ad depoſitionem, posſit extendi.

§. XXXII. Verus conſenſus in adultis baptizandis datur; quibus tamen non aliter Baptiſmus conferri debet, quam ſi fundamenta fidei & religionis noſtrae ſatis cognita habeant. Hi olim Catechumeni audie-

diebant; quia per Catechismum, in praecipuis fidei Christianae capitibus, instruebantur; hoc modo, ad Baptismum suscipiendum, praeparandi.

§. XXXIII. Erant uero olim duae Catechumenorum classes. Alii enim erant *audientes*, alii *competentes*. Illis non nisi copia audiendi praedicationem Verbi Diuini fiebat; qua finita, cum fideles sacra mysteria celebrare, & Coena Dominica uti inciperent, perinde ut ceteri infideles, nec non poenitentes, egredi iubebantur; quae dimissio appellabatur Missa Catechumenorum. Competentes autem propriorem spem habebant, impetrandi Baptismi, cuius uelut candidati erant; inde sic dicti, quod sollicite peterent & instarent, ut immergerentur, & sic membra Ecclesiae Christianae fierent.

§. XXXIV. Ea enim methodo olim fideles, in Catechumenis instruendis, utebantur, ut non statim iis abstrusiores & subtiliores fidei articulos traderent, sed eos lacte primum, exemplo Christi, alerent, & inprimis in concionibus, quibus audientes interesse poterant, simplicissima fidei rudimenta proponerent, ac studium pietatis inculcarent; qui, ubi deinceps, sub competentium nomine, in catalogum baptizandorum relati essent, demum ad sym-

bolum

bolum Chriſtianae fidei, nec non SS. Trinitatis, aliaque myſteria, plenius haurienda, admittebantur; eamque diſciplinam arcani, apud ueteres Chriſtianos, fuiſſe, maxime probabilis coniectura eſt.

§. XXXV. Materia, ex qua Baptiſmus conſtat, eſt res terrena, atque coeleſtis. Illa eſt aqua. *Jo. III. 5.* Nec refert, utrum ex fonte, fluuio, mari, aut ſtagno, ſit hauſta, item an pluuiatilis, rorulenta, calida. frigida, aut tepida ſit; de hoc enim in S. Scriptura, nihil definitum reperitur.

§. XXXVI. Vera autem & naturalis, non factitia & medicata, aqua eſſe debet. Ergo uerus Baptiſmus haud eſt, qui peragitur alio liquore, u. g. uino, lacte, cereuiſia, ſanguine, aut plane re alia, utpote arena. Vid. *Schmidii Diſſ. de baptiſmo per arenam*, ne quidem ſub obtentu neceſſitatis; cum aqua, ad ſubſtantiam Baptiſmi, pertineat, circa quam nulli mutationi locus.

§. XXXVII. Quodſi aquae naturali alius liquor, u. g. oleum, chriſma, tantum affundatur, integritati Baptiſmi nihil decedere, neque adeo eundem iterari debere, uolunt. *Schilt. Inſt. Jur. Can. L. II. t. 2.* §. *12.* ibique cit. *Hülſemannus in Breuiar.*

§. XXXVIII. Res coeleſtis Baptiſmi eſt Spiritus S. *Jo. III. 5.* ſiue tota SS. Trinitas.

Opera

Opera enim Trinitatis ad extra, quale etiam est Baptismus, indiuisa esse, constat. Add. *Matth. XXVIII. 19.*

§. XXXIX. Forma Baptismi consistit in actu lotionis, cum repetitione uerborum institutionis, seu inuocatione SS. Trinitatis, coniuncto.

§. XL. Lotio haec, in primitiua Ecclesia, per immersionem in aquam, seu flumen publicum, nullo sexus discrimine, fiebat. Cuius ratio mystica haec erat, ut sepulturam Christi repraesentaret; quo sensu homines, una cum Christo, per Baptismum, sepulti dicuntur. *Rom. VI. 4. Col. II. 12.*

§. XLI. Quia tamen, de hac immersione, nullum in diuinis literis mandatum extat, eademque, intuitu paruulorum infantum, periculosa uisa, postea in eius locum, speciatim in Ecclesia occidentali, ex libertate Christiana, aspersio, uel affusio, aquae successit; quae hodienum in usu est; quam & uel ipsa uox Baptismi satis defendit.

§. XLII. Sed & illud adiaphorum, & libertati Christianae relictum est, utrum immersio in aquam, uel eius affusio, una, an tribus uicibus, fiat. Vtrumque olim in usu fuit. Prius, ad unitatem Diuinae essentiae, posterius, ad Trinitatem indicandam; quae trina aspersio hodienum retenta.

§. XLIII.

§. XLIII. Abluitio, iuxta institutionem Christi, fieri debet, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Non igitur, uel simpliciter, in nomine SS. Trinitatis, uel, cum Arianis, in nomen Patris, per Filium, in Spiritu S. multoque minus, cum Eunomianis, in nomen Dei Patris increati, in nomen Filii creati, & in nomen Spiritus Sanctificatiui, citra Baptismi nullitatem, baptizare licet.

§. XLIV. Hoc tamen in Christiana libertate positum, utrum is, qui Baptismum confert, ex more Ecclesiae Latinae, actiue dicat, ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. an ex instituto Ecclesiae Graecae, in persona tertia passiue, baptizetur hic seruus Domini, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. an denique, ut tradit *B. Baierus in Comp. Theol. Part. III. cap. 10. de Baptismo, §. 6. not. e.* cum actu lotionis, qui iam per se in oculos incurrit, coniungat inuocationem SS. Trinitatis, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. modo non intempestiua mutatione, a qua merito abstinendum, Ecclesia turbetur. Quamuis de hoc ultimo casu, an Baptismus ualide collatus sit, dubitare liceat; cum sic uerba quodammodo mutilata uideantur; de quo uide expressum textum Jur. Can. in *C. I. X. de Baptism.*

§. XLV. Plane, per solum errorem lin-

guae, si sacerdos forte impingat, nihil ualiditati Baptismi decedit: qualis casus refertur in *C. 86. d. Consecr. dist. 4.* ubi sacerdos, ex imperitia linguae latinae, hac formula: baptizo te, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, usus fuerat. Add. *C. 72. ibid.*

§. XLVI. Finis Baptismi est uel internus, uel externus. Ille rursus est uel proximus, nempe regeneratio, aut renouatio baptizandi, uel ultimus, aeterna eius salus. Externus finis est acquisitio Iuris Ciuitatis, in Ecclesia Christiana, cuius per Baptismum quis membrum, & ueluti ciuis efficitur, eiusque legibus adstringitur.

§. XLVII. Dictum est de substantialibus Baptismi, quae in uerbo & elemento consistunt; nunc de accidentalibus & solemnibus, quae ad eius formam & integritatem haud pertinent, pauca addemus.

§. XLVIII. Inter haec primo loco occurrit Exorcismus, ritus antiquissimus, ad significandam Baptismi efficaciam, adhiberi solitus; quod nempe baptizandi, e potestate Satanae, in libertatem spiritualem uindicentur, & transferantur. Prima eius formula est: Fahre aus, du unreiner Geist, und gib Raum dem H. Geist, altera: ich beschwere dich, du unreiner Geist, bey dem Nahmen GOttes des Vaters, des Sohnes, und des H. Gei-

Geistes, daß du ausfahrest, und weichest von diesem Diener JEsu CHristi, N. N.

§. XLIX. Ritus hic, neque a Christo praeceptus est, neque ab Apostolis usurpatus legitur. Occasio, eius introducendi, sine dubio, olim fuit, quod quidam extraordinario & miraculoso dono instructi essent, ut daemones, a corporaliter obsessis, expellere possent, inde nomen Exorcistarum adepti; quo dono postea cessante, Exorcismus, ad Baptismum, non solum adultorum, sed etiam infantum, transiit.

§. L. Retentus ergo, etiam in Ecclesiis Protestantium, sed non omnibus; quare pro ritu ecclesiastico uniuersali haberi nequit; estque Ceremonia, per se indifferens & adiaphora, quae uim atque uirtutem Baptismi luculentius exprimit.

§. LI. Vnde consequitur, ritum hunc, iure humano ecclesiastico introductum, contraria lege rursus tolli & abrogari posse. Ius hoc est penes eos, qui habent ius summum, circa sacra, & quorum est, leges ecclesiasticas ferre. In horum igitur potestate est, Exorcismum, uel introducere, uel eliminare, uel denique cuiuis liberum relinquere, utrum adhibere eundem uelit, nec ne.

§. LII. Non tamen, sicut in aliis adiaphoris, semel circa sacra receptis, ita etiam in

Exorcismo, temere & sine graui causa, mutatio suscipienda; siue de eodem prohibendo, ubi hactenus in usu fuit, siue nouiter introducendo, ubi non obtinuit, quaestio sit. Talis enim mutatio fere semper, cum offendiculo infirmiorum, & aliis incommodis, coniuncta esse solet; neque est, cur, in talibus etiam, aduersariis nostris, quicquam concedamus, aut indulgeamus.

§. LIII. Noti sunt motus, quos tentata illius abrogatio, in Saxonia quondam, tempore *Christiani I. Elect. Sax.* excitauit; qua id agi uulgo credebatur, ut Caluini doctrina animis hominum, nec opinantibus, sese insinuaret, unde nomen Crypto-Caluinismi originem duxit. Mutata uero, per mortem *Christiani I.* rerum facie, Exorcismi usus, Edicto Electorali antea prohibitus, postliminio restitutus fuit; Cancellario, Crellio, eius tollendi praecipuo auctore, post decennalem carcerem, Dresenae publice capite mulctato.

§. LIV. Praeterea olim cathechumeni baptizati alba ueste induebantur, quae, eos iam renouatos & illuminatos esse, indicaret; qui ritus iam Seculo III. inualuit. Eius loco hodie infantes, Baptismo offerendi, linteo albo teguntur, quod uocari solet, das Wester-Hemd, uel a uoce latina, uestis, uel ab

eo,

eo, quod Weſt, auram leuem & placidam denotet; quamuis haec mera coniectura ſit, neque certa denominationis ratio reddi poſſit.

§. LV. Adhibentur etiam in Baptiſmo Suſceptores, ſeu patrini, Tauff-Pathen, Tauff-Dothen, qui & ſponſores audiunt. Horum origo ad id tempus referenda uidetur, quo introductum, ut profeſſio fidei, & abrenunciatio, Baptiſmum praecedere deberet. Cum enim haec ab ipſis infantibus fieri non poſſet, opus erat, ut alii interuenirent, & ſimul e lauacro infantem ſuſciperent. Horum loco, in catechumenorum Baptiſmo, erant teſtes, qui non ſolum, de eorundem fidei ac morum integritate, teſtimonium perhibebant, ſed & ſpondebant, eos in Chriſtiana religione perſeueraturos, neque ad gentiliſmum relapſuros eſſe. Non enim Baptiſmus, niſi praeuia magna circumſpectione, adultis conferri ſolebat.

§. LVI. Hoc actu cognationem ſpiritualem, quae & nuptiis impedimento ſit, contrahi, Pontificii comminiſcuntur. Vnde ſuſceptores olim infantem, linteo albo contectum, apprehendere, & manu tenere debebant; quo ipſo demum, uinculum ſpirituale adſtringi, credebatur; & propterea patrinis, qui in actu Baptiſmi praeſentes

haud erant, linteum illud transmitti solebat. Quae lintei apprehensio, etiam inter Protestantes, etsi figmento, de cognatione spirituali, repudium miserint, hodienum, multis in locis, in usu est.

§. LVII. De numero patrinorum obseruandum, quod, Iure Can. per *c. ult. d. cogn. spirit. in 6.* tantum unus uir, uel una mulier, regulariter admittatur, ne scil. nimis multiplicetur cognatio spiritualis, quae coniugii libertatem restringit. Cum uero illa ratio, apud Protestantes, cesset, a cuiusuis arbitrio pendet, quot patrinos, ad actum Baptismi, adhibere uelit; nisi ubi certus numerus, lege, uel consuetudine, definitus est. Quod fieri consultum, ne uel pompae, uel lucri caussa, nimis augeatur numerus.

§. LVIII. In Saxonia numerus ternarius, expressa lege, determinatus est, & plures rogare, sub poena centum florenorum, prohibitum. *Ord. Pol. Sax. d. anno 1661. tit. 17. §. 4.* Excipiuntur tamen Nobiles, quibus fas est, septem, uel nouem, patrinis uti. *Ord. Pol. Sax. c. l.* Id quod usus & obseruantia hodie, ad milites superiorum ordinum, Ober-Officiers, extendit. *B. Beierut in Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 278. seq.*

§. LIX. Sic &, cuius sexus patrini sint, nihil

hil intereſt. Vbi tamen rurſus conſuetudo recepta attendi debet. In Saxonia paſſim, ſigillatim Wittebergae, moris eſt, ut eius ſexus, cuius infans baptizandus eſt, patrini duo, tertius autem, diuerſi ſexus, adhibeantur. Quamuis, propter abuſum, qui fere inualuit, ut haec amoris, inter utrumque ſexum, uel conciliandi, uel alendi, uelut occaſio ſit, conſultum uideatur, in Baptiſmo maſculi, tantum maſculos, & in Baptiſmo puellae, ſolas foeminas, hoc munere fungi.

§. LX. Impuberes, cum negotii, cui adhibentur, grauitatem nondum ſatis intelligant, ab hoc officio merito repelluntur, quippe quod, non tanquam nuda ceremonia, conſiderari debet; uti perperam uult *Titius*, in der Probe des Geiſtl. Rechts, *L. III. c. 2. §. 19.* In Saxonia aetas XV. annorum exigitur; ut tamen eorum, qui infra illam aetatem ſunt, uices, uel parentes, uel tutores, obire queant. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 6.* §. Nachdem auch. *Decret. Synod.* §. Und demnach. nec non *Reuiſ. §. 24.*

§. LXI. Patrini eligi debent honeſti, non malae & improbae uitae, multoque minus oſores Verbi Diuini, & contemtores Sacramentorum. Quid uero, ſi talis a parentibus rogatus ſit, an parochus eundem admittere, an arcere, debet? Apud ueteres

Chriſtianos, ſoli excommunicati, nec non in ſtatu impoenitentium conſtituti, excludebantur; quia nempe illi extra omne commercium eccleſiaſticum erant, hi uero eodem non plene gaudebant. Caeteri, ſine diſcrimine, admittebantur omnes. Neqne aliud hodie ferre uidetur Eccleſiarum Proteſtantium uſus; etſi, quibusdam Ordinationibus Eccleſiaſticis, aliud expreſſe cautum uideatur. Namque, in applicatione, difficillimum iudicatu eſt, quis, praeter excommunicatos, pro notorio contemtore Verbi Diuini, & ſacramentorum, haberi debeat. Neque enim tale indicium, ſoli Parocho, ſine maximis incommodis, permitti poteſt; neque omnino, inaudita cauſa, contra quemquam, locum habet. Tantas uero moras, celeris adminiſtratio Baptiſmi, nequaquam patitur. Add. *Boehmer. in Iur. Eccl. Proteſt. tit. de Baptiſmo. § 38. in fin.*

§. LXII. Sed & Pontificii, atque Reformati, cum religioni, in Imperio toleratae, addicti ſint, non ſimpliciter ab hoc munere arcentur. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 10.* §. Deßgleichen. Multoque minus illi, qui tantum, in uno alteroue articulo, non fundamentali, errant, aut tantum de haereſi ſuſpecti ſunt; cum, hoc inprimis pruriente ſeculo, quo pietas apud multos refriguit, & contra ſpiritus

ritus persecutionis in eius locum successit, nihil facilius sit, quam in haereseos suspicionem incidere, quae & semper pallium esse posset, ignominiosae a baptismatis aditu exclusionis, quae uelut species excommunicationis est, utut forte, ex priuato odio, profectae. Quale exemplum, in *Matth. Wesembecio*, insigni ICto, quod *Victor. Strigelii* partibus, aduersus *Flacium Illyricum*, fauere uideretur, in Academia Ienensi, a Superintendente, *Wintero*, a susceptoris munere repulso, historia nobis suppeditat. Cuius authentica documenta in lucem edidit *Müllerus*, *Archiuarius Vinariensis*, im entdeckten Staats-*Cabinet*, Ersteren Eröffnung, *tot. Cap. III*.

§. LXIII. Munus Patrini regulariter, & ubi aliud lege ecclesiastica non cautum, ex numero eorum est, quae officia charitatis Christianae, & humanitatis dicuntur, & conscientiam quidem stringunt, sed non nisi imperfectam obligationem pariunt, ad quae nemo, per mandata poenalia, & uim externam, cogendus. Dissentit *Schilt. in Inst. Iur. Can. L. II. t. 2. §. 23. in fin.* Merito tamen Christianus sibi cauere debet, ne, sine iusta & graui causa, hoc officii genus decliner.

§. LXIV. Moris etiam est, ut Patrini, gratulationis & affectus testandi causa, munuscu-

la offerant, quae pecuniae lustricae, Pathen-Geld, Eingebinde, nomine ueniunt. De qua quaeritur, ad quodnam peculium illa pertineat? Mea sententia, ut aliae res aduentitiae, ita & haec, ad peculium aduentitium ordinarium, in quo pater usumfructum, filius proprietatem habet, regulariter referri debet; nisi de alia offerentis mente liquido constet, quod nempe, uel solius patris, uel solius infantis intuitu, data sit. Priori casu, ad peculium profectitium, posteriori ad irregulare, seu extraordinarium aduentitium, pertinet. Iure etiam tacitae hypothecae, usu fori, pecunia haec gaudet.

§. LXV. In cuiusque autem arbitrio regulariter est, quousque hic liberalis esse uelit, nisi certus modus, lege ecclesiastica, definitus sit. In Saxonia, per *Ord. Pol. tit. 17. §. 5.* pecunia lustrica, inter Nobiles, Consiliarios, atque Doctores, uel Licentiatos, utpote qui illorum priuilegiis gaudent, ducatum, inter Ciues, Imperialem, & inter rusticos, duodecim grossos, excedere haud debet, & simul ibi dispositum, daß dem Pathen in geringsten kein heiliger Christ, Neu Jahr, Grün Donnerstag, oder wie es sonsten Nahmen haben mag, an Kleidung Geld, Geschmeide, oder andern Sachen, nichts gegeben, weniger ihnen, oder den

Wö-

Wöchnerinen, in die Wochen geschickt werden solle. Sed, quod dolendum, saluberrima haec lex, ut in aliis capitibus, ita etiam in hoc, contrario usu, fere obliterata uidetur.

§. LXVI. Locum quod attinet, ubi Baptismus confertur, is, in primitiua Ecclesia, erat flumen, eoque peracto, baptizatus ad fratres congregatos deducebatur. Tempore persecutionum, sigillatim Romae, in thermis & balneis administrari coepit; imo, ab Apostolis, etiam in carcere, collatus legitur. *Act. XVI. 33.* Idem, de *Basilide*, memorat *Eusebius*, in *Hist. Eccl. L. VI. c. 5.* Add. *Caue*, im ersten Christenthum, *p. 325.* Postea, seculo P. C. N. IV. fontes, prope Ecclesias maiores, huic fini adornati sunt; unde distinctio, in baptismales, & non baptismales, orta, & tales fontes proprie baptisteria dicti, ab ipsis Ecclesiis prorsus separati; quibus, cum affusio aquae, loco immersionis, reciperetur, amplius opus non erat. Retinuerunt tamen nomen illud loca, in omnibus Ecclesiis parochialibus hodie, ad Baptismum peragendum, constituta.

§. LXVII. Atque in his locis publicis, seu templis, etiam apud Protestantes, Baptismus regulariter, & extra casum necessitatis, administrari debet. Excipiuntur tamen, in Saxonia, Nobiles, itemque Electorales, at-

que

que Ducales Consiliarii, nec non Doctores; atque Licentiati, quibus fas est, in priuatis aedibus, Baptismum infantibus suis adhibere. *Ord. Sax. Pol. tit. 17. §. 1.* Quamuis praxis hodierna, solis Nobilibus, etiam apud Saxones, fauere uideatur.

§. LXVIII. Illud uero ad abusum omnino referri debet, quod, apud plerosque Euangelicos, fere clanculum, paucissimis personis, Parocho, aedituo, & susceptoribus, praesentibus, Baptismus administrari soleat; qui publice, in facie Ecclesiae, eo tempore, quo fideles ordinarie congregantur, conferri, eorumque precibus baptizandus Deo commendari debebat. Aliud sane luculenter constitutum in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 6. §. 1. ibi:* Es sollen die Pfarrer sich befleißigen, daß die Tauffe in Gegenwart der versammleten Kirche geschehe, auch das Volck ernstlich vermahnen, sich selbst darzu zu schicken, weil solche allweg füglich nach der Predigt verrichtet werden kan, additur ratio: denn die gantze Kirche nicht allein für die neugetaufften Kinder beten, sondern auch ein jeder Christ sich selbst seiner empfangenen heiligen Tauffe, und des Bundes GOttes, nützlich erinnern soll, den GOtt in der heiligen Tauffe mit ihm gemacht und aufgerichtet hat. Vt merito mirari liceat, legem tam salubrem & expressam, eamque praegnantibus

tibus rationibus ſuffultam, paſſim in Saxonia, etiam hic Wittebergae, negligi & inſuper haberi.

§. LXIX. Ad ſacrum hunc actum Parochus, praeter caeteros, qui eidem interſunt, ſobrius, religioſaque mente, & tempeſtiue, accedere debet; quod ſi temulentus fuerit, poenam arbitrariam, pro grauitate ſcandali, incurrit; quae aliquando, ad remotionem ab officio, extendi poteſt.

§. LXX. Solemne etiam eſt, ut certa nomina illis, qui Baptiſmum ſuſcipiunt, imponantur; qui mos initio Eccleſiae incognitus fuiſſe uidetur. Quisque enim adultus, poſt Baptiſmum quoque, nomen ſuum retinuit. Inſecutis uero temporibus, nomina quandoque mutata ſunt. Hodie a parentum arbitrio pendet, quibus nominibus infantes ſuos baptizandos inſignire uelint; quae ut plurimum a nominibus ſuſceptorum, eiusdem ſexus, mutuari ſolent, & forte huius conſuetudinis origo inde manauit, quod olim competentes, qui ad Baptiſmum adſpirarent, nomina ſua catalogo baptizandorum inſerenda, dare conſueuerint. Merito tamen cauetur, ne uel iuſto plura, uel inſolita, & gentiliſmum redolentia, nomina eligantur.

§. LXXI. Quodſi ſpurius baptizetur, Parochi

rochi officium eſt, ut praenomen, atque cognomen, & hoc quidem ex indicio & relatione matris, conſignet; non autem ipſe, ſuo arbitrio, eidem nomen imponat. Vid. *Beier. in Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 272. p. 252.* Sin autem res adhuc ſub lite ſit, & is, qui pater eſſe arguitur, id neget, & proteſtatione utatur, locus patris tantiſper uacuus relinqui debet, donec lis finita ſit.

§. LXXII. Quibusdam in locis, ut hic *Wittebergae*, quoad ſpurios, ſpecialis conſuetudo inualuit, ut nonniſi unum praenomen iis permittatur; pallio etiam tecti, hora XII. ad templum deferantur.

§. LXXIII. Inſcribuntur nomina baptizatorum, ut & parentum, atque ſuſceptorum, peculiari libro, qui baptiſmalis, das Tauff-Buch, uocatur; in quo ſimul dies Baptiſmi collati accurate annotari debet. Adiici etiam quandoque ſolet, dies natiuitatis. Vbi obſeruandum, quod tales libri regulariter quidem plene probent Baptiſmum, eiusque tempus, ſed non diem, uel horam natiuitatis, licet huius quoque mentio in illis fiat. Hactenus enim Parochus non teſtatur, de propria ſcientia, ſed quam habet, ex relatione. Atqui teſtis, de auditu, nihil

pro-

probat. Quae obſeruatio, cumprimis circa probationem aetatis, uſum habet. Idem dicendum, de probatione patris, e.g. infantis ſpurii, quae itidem, ex huiusmodi libris, deſumi nequit. Inde enim tantum probatur inculpatio faeminae ſtupratae; per quam, cum illa complex delicti ſit, nemo grauari, aut indicio, ne quidem ad effectum imponendi iurisiurandi purgatorii, onerari poteſt.

§. LXXIV. Ipſe actus baptizandi, prout a B. Luthero conſignatus, & apud Proteſtantes in uſu eſt, deſcribitur in *Corp. Iur. Eccl. Sax. p. 133. in fin. ſeqq.* Inprimis obſeruandum, quod Baptiſmus, non ſub conditione, ſed pure, conferri debeat. Quamobrem reiicitur formula: Si baptizatus es, te non baptizo, ſed, ſi non baptizatus es, ego te baptizo, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 6.* Von der Noth-Tauffe. §. Sonderlich aber.

§. LXXV. Pontificii plures ceremonias in Baptiſmo adhibent. Quo pertinent Clericorum exſufflationes, ſalis benedicti exhibitio, ſaliuae contactus, inunctio, &c. Vid. *Lancell. in Inſt. Iur. Can. L. II. t. 3. §. 15. Corp. Iur. Eccl. Sax. p. 131.* Quae, cum nullum de iis, uel praeceptum

in

in S. Scriptura, uel exemplum, in primitiua puriori Ecclesia, extet, eaedemque, saltem apud uulgus, meriti opinione, non careant, illisque effectus spirituales tribuantur, apud Protestantes merito omittuntur; ut tamen, per eas, ueritati & integritati Baptismi, si modo essentialia, iuxta institutionem Christi, adhibita sint, nihil decedat. *Chemnit. in Exam. Conc. Trid. P. II. p. 229.*

§. LXXVI. Peracto Baptismo, sedulo cauere Parochus debet, ut aedituus, ipso praesente, aquam residuam, debito loco, effundat, ne superstitioni & magicis artibus inseruiat. *Decret. Synod. in Corp. Iur. Eccl. Sax. p. 336.* Unde aedituus, eam uendere, sub graui poena prohibetur. *c. l.* & in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 6.* §. Nachdem an etlichen.

§. LXXVII. Quondam baptizati statim etiam Coenae Dominicae participes fiebant, non tantum adulti, sed etiam infantes, & hi quidem, sub solius uini specie. Vid. *Cointius T. I. Annal. Eccl. Franc. ad annum 496. num. 76. p. 162.* Quae consuetudo postea, cum usus calicis denegari laicis coepisset, cessauit, & abrogata est, neque in Ecclesiis Protestantium, ubi, nonnisi sub utraque, Communio, iuxta institutionem Christi, recepta,

cepta, intuitu infantum, locum habere potest.

§. LXXVIII. Pro actu Baptismi, nihil, sportularum nomine, a sacerdote exigi posse, expresse constitutum est, tam Iure Can. *C. placuit, ut unusquisque. caus. 1. quaest. 1.* quam Sax. in *Ord. Eccl. art. gen. 26. vr.* ut tamen, utroque iure, honorarium, sponte oblatum, recte accipiatur. Sed fatendum, & hic praxin aliud ferre; dum Parochi, tales sportulas, ad iura stolae, referunt, &, uelut partem salarii, considerant, obseruantia etiam, & matricularum auctoritate, nituntur. Illud expeditum est, huiusmodi sportularum exactionem, nihil quicquam commune habere, cum crimine Simoniae; quippe quod uenditionem, seu nundinationem, donorum Spiritus S. supponit.

§. LXXIX. Plane illud, manifestum abusum, & πλεονεξίαν, sapit, quod Clerici interdum, pro spurii Baptismo, plus, quam ab aliis, exigere, uel etiam munusculum, eidem a patrino oblatum, praeripere, audeant; quod & pluribus Rescriptis Elect. Sax. expresse prohibitum, quae recitat *B. Beierus, in Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 272.* Multoque minus, propter honorarium denegatum, Baptismus differri, sed eo, sine mora, peracto, res ad Consistorium referri debet.

§. LXXX.

§. LXXX. Pessimus mos, in quibusdam pagis, quondam inualuerat, ut patrini, infantes baptizatos, statim in cauponas deferrent, ibique compotationibus, aliisque scandalosis actibus, uacarent; quod seuere prohibitum, in *Ord. Pol. tit.* 17. §. *ult.* Poena est arbitraria, carceris per aliquot dies, uel etiam, pro circumstantiarum grauitate, numellarum, *c. l.* quae & postea repetita, atque confirmata est, in *Decret. Synod. Reuis.* §. 23.

§. LXXXI. Conuiuia quoque baptismalia, Kind-Tauffen-Essen, passim, sigillatimque in pagis, finito baptismo, celebrari solent. Quae unde originem traxerint, facile intelligitur. Nam & alias solemne est, ut, diebus festis, laetisque, talia instituantur, & priscis temporibus, neophyti, seu recens baptizati, patrinos, cum Baptista, conuiuio, sed tenui, atque modesto, quod agapis annumerari posset, excipere solebant. Successu temporis, maximus horum abusus inualuit, ut eum publicis legibus coërceri, uisum sit. Speciatim modus iisdem positus, & sanctionibus poenalibus munitus est, per *Ord. Pol. tit.* 17. cuius tamen rigor, quodammodo temperatus, uidetur, in *Decret. Synod.* §. Und ob mir wohl. ubi dispositum, Daß, wo die Tauff-Mahlzeiten gebräuchlich gewesen, sie daselbsten nochmahls

ver-

verbleiben mögen, doch soll man nicht mehr, denn eine Mahlzeit halten, bey derselben auch allen Uberfluß abschaffen, und zumahl auf den Dörffern, über 3. oder 4. Essen in allem, bey Straffe eines guten Schocks, nicht aufsetzen.

§. LXXXII. Vbi receptum, ut Parochus, & aedituus, huiusmodi conuiuiis intersint, excludi haud possunt, cum hi, tali casu, praesertim in pagis, has epulas, inter accidentia sua, quae uocant, referre soleant. Verum regulariter id necessitatis haud est, sed ad res meri arbitrii pertinet, quae inuitis haud extorquentur. Consultum tamen est, & omnino suadendum, ut inter homines, praecipue rurales, fiat; cum Parochi praesentia, plerumque ad reprimendam eorum licentiam, & scandala uitanda, non parum conducat.

§. LXXXIII. Sequitur, ut de confirmatione quaedam adiiciamus. Haec est uel extraordinaria, uel ordinaria. Prior locum habet in Baptismo, a laico, in casu necessitatis, collato, bey der Noth-Tauffe; eiusque ratio, prout in Saxonia obtinet, describitur, in *Ord. Eccl. Sax. tit.* Von der Tauffe. *p. 141.*

§. LXXXIV. Confirmatio ordinaria fit per unctionem, & manuum impositionem. Qui ritus, cum neque praeceptus in S. Scri-

ptura sit, & requisita Sacramenti, proprie dicti, non habeat, pro tali, a Pontificiis, perperam uenditatur.

§. LXXXV. Equidem Apostoli, baptizatis manus imposuisse, leguntur, *Act. VIII. 18. seqq. & XIX. 6.* & id eo fine factum, ut neophyti gratiam, & dona Spiritus S. acciperent. Quam uim miraculosam, & efficacem, manuum impositio, post Apostolorum tempora, non amplius habuit; retenta tamen, & appendix Baptismi facta est, eidemque unctio accessit, non tantum quoad adultos, sed & infantes, adeoque statim, post collatum Baptismum, adhibita fuit; sicut, apud Graecos, hodienum fieri solet. Circa seculum autem VIII. quo communio, sub una, inualuit, & eucharistia infantum desiit, confirmatio a Baptismo seiungi, atque, ad adultam aetatem differri coepit.

§. LXXXVI. Magno autem apparatu hodie confirmatio, inter Pontificios, peragi solet; quem describit *Castaldus*, in *Praxi Ceremon. L. II. Sect. 15. c. 2.* Inprimis noui patrini rogantur, nomen mutatur, & ipsa unctio fit, mediante chrismate, seu oleo, balsamo mixto, in fronte, ad figuram crucis, adhibita hac solemni formula: *Signo te signo Crucis, & confirmo te, Chrismate salutis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.*

§. LXXXVII.

§. LXXXVII. Apud Proteſtantes, etiam hodienum paſſim, quaedam confirmationis ſpecies remanſit; ſed ab opinione Sacramenti, atque ſuperſtitione, purgata, eademque uſum S. Coenae immediate praecedere ſolet; de qua uid. *Chemnit. in Exam. Concil. Trid. P. II. Loc. 3. §. 25. p. 356.*

§. LXXXVIII. Reſtat quaeſtio, de baptiſmo Johannis, an idem fuerit, cum Baptiſmo Chriſti, & Apoſtolorum; de qua Vid. Theologos, ſigillatimque *Dietericum*, in *Inſt. Catech. Loc. de Baptiſmo. q. 4.*

CAPVT VI.
DE
OFFICIO PASTORIS, CIRCA CONFESSIONEM PRIVATAM, ET ABSOLVTIONEM.

§. I.

ANteqnam ad alterum, Noui Foederis, Sacramentum, nempe Coenam Dominicam, progrediamur, praemittenda eſt doctrina, de Confeſſione, & abſolutione, quae illam ordinarie praecedit.

§. II. Confeſſio germanice appellatur, die Beicht, a priſco uocabulo, Bejicht, quod ſignificat, ein Bekänntniß; unde confeſſores

 appel-

appellantur, Beichter, seu Bekenner, ut docet *B. Lutherus. T. VI. Altenb. fol. 117.*

§. III. Confessio est, uel interna, uel externa; illa fit Deo, atque, ad salutarem Coenae Dominicae usum, omnino necessaria est. *Psalm. XXXII. 3. 1. Jo. I. 9.* eademque inest contritioni cordis, quae, cum fide, duas partes essentiales poenitentiae, absoluit.

§. IV. Externa Confessio, uel dirigitur ad proximum, a nobis laesum, quae itidem necessaria est, *Jac. V. 16.* Bekenne einer dem andern seine Sünde. *add. Matth. V. 23.* Wenn du deine Gabe auf den Altar opfferst, 2c. uel publice Ecclesiae, aut, remotis arbitris, soli Sacerdoti, uelut in aurem, fit; unde etiam auricularis, die Ohren-Beichte, uocatur. Haec absolute necessaria haud est, neque a Deo praecepta. Quod argumentum, praeter ceteros, latissime executus est *Dallaeus, in pecul. Tr. de Confessione auriculari.* Add. *Bechmann. in Theolog. Conscient. Sect. 3. cas. 10. p. 137.* Idemque agnoscit, & absolutionem priuatam, per se, inter res adiaphoras, expresse refert *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. ibi:* Denn ob es wohl an ihm selbst ein frey Ding 2c. & *B. Lutherus T. VII. Ien. fol. 10.* hanc libertatem, exemplo suo, ita adstruit: Und ich, D. Martin, selbst ungebeichtet hinzugehe, daß ich mir nicht selbst eine nöthige Gewohnheit

heit mache im Gewissen, doch wiederum der Beicht brauche, 2c. & *ibid. fol. 12. b.* Sonderlich soll man denen Leuten in der Predigt ausstreichen, doch so ferne, daß es alles frey bleibe, denenjenigen unverbothen, die der Absolution brauchen wollen, wiederum diejenigen ungezwungen, (zuvor, so sie wohl berichtet im Glauben und Leben CHristi sind) so alleine GOtt beichten wollen, und das Sacrament drauf nehmen, die soll man nicht weiter zwingen, denn es nimmts ein jeder auf sein Gewissen, wie Paulus sagt: Der Mensch prüffe sich selbst, 2c. *Item T. III. Altenb. p. 350.* cum tres confessionis species, unam, quae Deo, alteram, quae proximo, a nobis offenso, & tertiam, quae priuatim Sacerdoti fit, commemorasset, de hac ultima ita iudicat: Von dieser sagen wir nun so: wenn jene zwo öffentlich geschehen, ist man nicht schuldig, diese zu thun, GOtt weiß doch deine Sünde wohl, wenn du sie nur vor ihm, und hernach deinem Nechsten bekennest, sind die Sünden vergeben. Add. *idem, Tom. VIII. Altenb. p. 884. b.* & eius Kirchen-Postill, *P. I. in fin. rubr. Sermon* von der Beichte, *p. 514. b.* editionis, cui praefatio Speneriana praemissa est; ubi, inter alia, haec tradit: Wiewohl es nicht gebothen soll werden, auf daß man sich nicht ein Gewißen drüber mache, als müste

man zuvor beichten, ehe man zum Sacrament gehe ꝛc. Vnde nec, in primitiua Ecclesia, regulariter obtinuit, nec hodie, in omnibus Ecclesiis Euangelicis, in usu est. Vid. *B. Beier. Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 275.* & hanc libertatem, publico Rescripto, stabiliuit *Potentiss. Borussorum Rex, Fridericus I. A. 1698.*

§. V. Imo, ne quidem inter Pontificios, adhuc seculo XII. tempore Gratiani, auricularem confessionem, simpliciter necessariam fuisse, liquet ex *c. quamuis. 89. d. poenit. dist. 1.* sed non ita multo post *Lombardus, L. IV. sentent. dist. 16. seq.* publice docere coepit: Es wäre die Bekenntniß der Sünden gegen GOtt allein nicht genung, sondern müste auch gegen den Priester geschehen. Quo factum, ut deinceps *Innocencius III. Pontif. Rom. A. 1215.* in *Concilio Lateranensi I. Cap. 21.* decerneret, quemuis in posterum, ad minimum semel anno, omnia & singula sua peccata, clam, & priuatim, proprio sacerdoti confiteri debere; quae sanctio, insecutis temporibus, per *Synod. Florent. A. 1439.* & *Concilium Trid. Sess. 14.* confirmata est. Add. *c. omnis utriusque. 12. X. d. poenit. & remiss.*

§. VI. Arcanum politicum Pontificum Rom. quod, sub tali confessione auriculari, latitat, facile subodorari licet. Nullum enim,

nim, ad ſtabiliendum clericalem dominatum, & imperium in conſcientias, efficacius remedium erat, & reperiri non poterat alia commodior uia, in quaeuis laicorum, etiam Regum, & Principum, arcana conſilia penetrandi, quam tali laqueo iniecto, & neceſſitate, ſingula peccata ſacerdotibus enumerandi, iniuncta. Taceo, quod, hoc pacto, facile fuerit, miſerorum laicorum crumenas exenterare, ſatisfactionis loco, mulcta, pro lubitu, & facultatibus peccatoris, impoſita.

§. VII. Ab hoc abuſu confeſſionem auricularem, ſub tempus Reformationis, *B. Lutherus* purgauit, & neceſſitatem, omnia ſigillatim peccata confitendi, ſuſtulit, idque ut faceret, graues omnino cauſas habuit. Praeterquam enim, quod nullum, de ea, in S. literis, uel mandatum, uel exemplum, uel promiſſio, extat, perpetuis ſcrupulis, & dubiis, conſcientias onerat, imo rem prorſus impoſſibilem requirit. Delicta enim quis intelligit? *Pſalm. XIX. 13.* Ipſam uero confeſſionem priuatam, non reiiciendam, ſed propter multiplicem uſum, quem *B. Vir* paſſim luculenter demonſtrat, omnino retinendam eſſe, rectiſſime cenſuit. Conducit enim cumprimis illa 1) ad conſolationem conſcientiarum, 2) ad ſimpliciorum

 &iu-

& iuniorum informationem, 3) ad priuatas admonitiones, 4) ad specialiorem, de facta peccatorum remissione, certitudinem; de quo agit *B. Lutherus T. III. Altenb. p. 350.* Add. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. pr.*

§. VIII. Igitur conclamatum est, & nemo cordatus negat, quod confessio priuata, sacerdoti facienda, bona quidem & utilis, non tamen Iuris Diuini, sed humani ecclesiastici, sit. Add. *August. Confess. art. d. Confess. B. Beier. Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. c. l.* Quamobrem, illis in locis, ubi retenta est a Protestantibus, intermitti nequit, sed, ex necessitate legis ecclesiasticae, omnino adhibenda. Vid. *Ord. Eccl. Sax. cit. art. gen. 7.* Add. *Koenig. in Casib. Conscient. cap. 5. cas. 2.* Si modo, in tali confessione, & absolutione, tanquam opere operato, non praecipuum poenitentiae caput, ut, proh dolor, in plerisque animaduertere licet, *constituatur. Quem abusum recte & pie notauit *B. Spenerus*, im *Theologi*schen Bedencken, *P. II. Cap. 3. §. 3.* ubi ita loquitur: So ist wohl der schreckliche Mißbrauch, und nur allzugemein, daß sich die Leute einbilden, wenn sie nur gebeichtet, und Absolution empfangen hätten, wäre alles gut, und die Sünde ihnen gewiß von GOtt vergeben, ob schon das geringste von wahrer Buße nicht in ihren Hertzen ist.

Cui

Cui malo Parochus, per frequentes admonitiones, tam publicas, quam priuatas, medelam aliquam afferre poteſt, & debet.

§. IX. Quod uero ſacrum hoc negotium, rationem Sacramenti, proprie dicti, non habeat, ut Pontificii comminiſcuntur, manifeſtum eſt. Praeterquam enim, quod inſtitutio diuina deficit, nulla hic res uiſibilis oſtendi poteſt, ſub qua, inuiſibilem gratiam, & bona, Deus nobis exhibeat, & obſignet; neque enim, pro tali re, actus tranſiens confitentis, ullo modo haberi poteſt.

§. X. Ceterum nemini, qui peccatorem ſe in genere fatetur, & abſolutionem a ſacerdote petit, haec regulariter deneganda. Igitur, ut quis ſpeciatim, hoc uel illud, delictum confiteatur ipſi, neceſſe haud eſt; neque is, ſpecialem huiusmodi confeſſionem, iure exigit; ne, quod ſolamen conſcientiarum eſſe debeat, in torturam ſpiritualem, & medium, eruendae ueritatis, degeneret. Idemque *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7.* §. Wie aber. diſertis uerbis praecipit: Alſo ſollen auch, die Kirchen-Diener, nicht vorwitzer Weiſe, von ihren Beicht-Kindern fragen, was ihnen nicht gebeichtet worden. Qua in re ſaepiſſime Paſtores peccare, & impingere, experientia docet.

§. XI. Hinc facile iudicari poteſt, quid ſenti-

ſentiendum ſit de caſu, quando maleficus confeſſionem criminis, per tormenta expreſſam, poſt ratificationem, reuocat, & nihiloſecius, a peccatis abſolui, atque ad uſum S. Coenae admitti, cupit. Male enim ſacerdos agit, & officio ſuo abutitur, ſi hunc, proprio auſu, ab his ſacris arceat; praeſertim, cum fieri poſſit, ut iuſta ſit ſententia iudicis, quippe quae, in foro externo, ex actis & probatis fertur, & tamen reus innocens ſit, puta, ſi, tormentis ſuſtinendis impar, faſſus ſit crimen, quod nunquam perpetrauit. Talis ſane maleficus, contra conſcientiam, ageret, ſi, ad ſupplicium licet ducendus, nocentem ſe, erga ſacerdotem, profiteretur. Quod ſi igitur in genere confiteatur peccata, quamuis crimen, propter quod ultimo ſupplicio afficiendus eſt, conſtanter neget, ſuamque, illius intuitu, innocentiam urgeat, abſolutione, & ſalutari uiatico, priuari nequit. Cuius generis caſus anno 1724. hic Wittebergae contigit; quem Confeſſionarius malefici, *Wallmann* dicti, *Summe Reuer. D. Charitius, Archi-Diaconus hic Vitembergae longe Meritiſſimus*, peculiari & erudita Commentatione, quae omnino legi meretur, diſtincte expoſuit.

§. XII. Sed, de iure denegandi abſolutionem, & Coenam Dominicam, propter rei graui-

grauitatem, paulo accuratius, & distinctius, agendum. Apud ueteres Christianos nemo, ab usu S. Eucharistiae excludebatur, nisi excommunicatus, &, qui huic similis erat, in statu poenitentium constitutus, reliqui, sine discrimine, admittebantur omnes; moniti tamen prius, ut, si qui grauiorum criminum, propter quae communione ecclesiastica priuandi essent, conscii sibi forent, sponte abstinerent; quod & a quibusdam fiebat. Vid. *c. 15. d. Consecr. dist. 2.* Vbi haec Hilarii sententia refertur: *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non debet se a medicina corporis, & sanguinis, Domini separare.* Igitur nullus, etsi impius, aut notorius peccator, esset, modo in communione ecclesiastica uiueret, ab his sacris repellebatur.

§. XIII. Vnde intelligitur, ignotam olim fuisse excommunicationem, quam uocant, minorem; ubi quis membrum ecclesiasticae communionis manet, & nihilosecius ab absolutione, & usu Coenae Dominicae, arcetur. Recentius hoc inuentum est, publicis ordinationibus postea stabilitum; quam tamen excommunicationem decernendi ius Parochus non habet, sed caussa, ad Superintendentem, & ab hoc, ad Consistorium, referri debet; quod nomine Ecclesiae, cui proprie hoc ius competit,

petit, ab his ſacris excludendi, poteſtatem exercet.

§. XIV. Quando autem Conſiſtorium, cauſa cognita, quemquam admittendum eſſe, decernit, officium ſacerdotis poſtulat, ut, ſine mora, obſequium praeſtet perinde, ac ſi Eccleſiae uocem audiret. Quod ſi quis, obtentu conſcientiae ſuae, & neſcio, cuius contumaciae piae, & ſacrae, obedire detrectet, non miretur, aut ægre ferat, ſi, gradibus admonitionum adhibitis, ſuſpenſionem, & tandem remotionem ab officio, incurrat. Qui modus procedendi nihil habet, uel a Verbo Diuino, uel praxi primitiuae Eccleſiae, alienum. Exemplum, huiusmodi contumaciae, ſuppeditat *Tölnerus*, Paſtor quondam pagi, prope Lipſiam ſiti, qui, ruſticis ſuis, niſi uſum Cereuiſiae Pentecoſtalis, des Pfingſt-Biers, eiurarent, abſolutionem denegabat, in eoque propoſito, ſaepius licet, admonitus a Conſiſtorio Lipſienſi, perſeuerabat, eamque ob cauſam tandem, munere ſuo exutus, ſcriptis publicis contumaciam ſuam, uelut piam & ſacram defendebat; cui acri ſtylo, *Titius*, *JCtus Lipſienſis*, reſpondit.

§. XV. Hac de re luculenter cautum eſt, in legibus Eccleſiaſticis Saxonicis, & ſigillatim in *Decret. Synod. p. 337. Corp. Jur. Eccl.* ubi

ubi haec uerba notari merentur: So viel auch vor den Beicht-Stuhl kommen, die sich für arme Sünder erkennen, und bekennen, und um die gnadenreiche Absolution, auch Mittheilung des H. Abendmahls anhalten, darneben Besserung ihres Lebens vor GOttes Angesicht zusagen, denen allen und jeden sollen die Pfarrer und Diaconi die gebethene Absolution unweigerlich wiederfahren lassen, und niemand auf eigene Erkenntniß trostloß von sich gehen lassen. Add. *Decret. Synod. Reuis. p. 374.* & *Res. Grau. d. A. 1661. tit.* von *Consistorial*-Sachen. *§. 19. p. 451. in fin. ibi:* So ist Unser ernstlicher Will und Meinung, daß keiner von denen Geistlichen, bey Verlust seines Dienstes, oder anderer hohen Strafe, ohne gehaltene Verhör, und aus unsern Consistorien erfolgte Erkenntniß, eines seiner Pfarr-Kinder von der Tauffe, Beicht-Stuhl und Abendmahl stossen, und, da sich einer eines wiedrigen anmasset, der gesetzten Strafe erwarten solle, & in *Ord. Eccl. art. gen. 10.* in huiusmodi causis Consistorium Ecclesiam repraesentare dicitur, *ibi:* Für die Kirche, das ist, vor die Verordneten des Consistorii &c.

§. XVI. Cum etiam, multis in locis, propter certa delicta, speciatim contra sextum praeceptum, admissa, poenitentia publica, die Kirchen-Buße, recepta sit, obseruandum, quod

quod, huius intuitu, admiſſio, ad abſolutionem, & S. Euchariſtiam, differri haud debeat. Primo enim haec, ad remiſſionem peccatorum, a Deo impetrandam, neceſſaria haud eſt; cum, ſine illa, contritio cordis, & uera fides, eſſe poſſit. Deinde multum ea ab inſtituto ueterum, degenerauit, & hodie, ſi, quod res eſt, dicendum, reuera poenae ciuilis rationem habet, atque ignominioſa eſt; quod olim longe ſecus. Unde etiam in Saxonia regulariter in uſu haud eſt; nec, ubi per conſuetudinem non inualuit, ſine Principis praeſcitu, introduci poteſt. Ita enim in *Decret. Synod. general. p. 341. a Corp. Jur. Eccl.* expreſſe diſpoſitum; daß kein Pfarrer, noch Superintendent, befugt ſeyn ſoll, an denen Orten, da nicht vor ſeiner Zeit dergleichen Kirchen-Buß gebräuchlich geweſen, ſolche anzuordnen, und da dergleichen an Unſere Conſiſtoria etwas ſolches gebracht würde, ſo ſollen ſie doch iederzeit, mit Unſern Bewuſt, hierinnen handeln, und decretiren.

§. XVII. Fruſtra eſt, quod illi, qui hanc poenitentiae externae ſpeciem, Iuris Diuini eſſe, contendunt, obiiciunt, quod per eandem, peccator Eccleſiae reconcilietur, propter ſcandalum datum, offenſae; praeſertim, quia nec, ſine reconciliatione, cum priuato, a nobis laeſo, uera poenitentia locum

cum habere poſſit. Quae obiectio, uel hoc ſolo, deſtruitur, & corruit, quod, eius loco, ſufficiat mulcta, aerario Eccleſiaſtico inferenda, id quod non tantum praxis quotidiana, ſed & laudatum *Synod. Decret. c. l.* his uerbis expreſſe comprobat: Wo aber das Abbitten von der Cantzel, item das Knien vor dem Altar, das Stehen vor der Kirche, und dergleichen, längſt üblich geweſen, daſelbſt ſollen doch die Pfarrer vor ſich ſelbſt ſolche Straſe niemahls anordnen, ſondern alle Fälle an ihre Superintendenten, und dieſelben hinwieder an die Conſiſtoria berichten, welche Macht haben ſollen, nach Befinden der Verbrechung, und Beſchaffenheit der Sache, entweder eine ſolche Kirchen-Buß, oder an derſelben ſtatt, eine Geld-Straſe in das GOttes-Hauß zu verordnen. Neque enim puto, ad ſcandalum, ab Eccleſia remouendum, magnopere facere, ſi peccator ueteri, uel noua, ſexagena, mit einem alten oder neuen Schock, quae utplurimum dictari ſolet, pauperior recedat. Et quidni hoc reconciliandi medium, ſi, citra illud, remiſſio peccatorum, & uera poenitentia, locum habere nequeat, etiam propter alia peccata, non minus ſcandaloſa, inprimis ambitionem, auaritiam, calumnias, &c. adhibetur?

§. XVIII. Itaque Paſtoribus falſa, & fere

communis persuasio, quae plerorumque a-
nimis firmiter insedit, & uelut infixa est, o-
mnino eripienda, & serio ipsis inculcan-
dum, in quanto errore uersentur, dum il-
lis in locis, ubi poenitentia publica usu in-
ualuit, peccatoribus aditum ad absolutio-
nem, & S.Synaxin, tamdiu intercludunt, do-
nec, illo poenae genere, siue in natura, ut
uulgo loquuntur, siue per surrogatum,
mulctam scil. pecuniariam, defuncti sint.
Quo pacto fieri solet, ut quandoque, inter
moras processus inquisitorii, contra reum,
forte nondum confessum, aut conuictum,
instituti, plures anni elabantur, quibus e-
undem, non sine graui salutis discrimine, ab-
solutione & S. epulo, carere oportet. In-
telligere, & meminisse debebant, incauti Pa-
rochi, si tali casu animam, pabulo salutari
priuatam, perire contingat, non tantum
DEo olim rationem reddendam, sed &, in
foro externo grauem poenam expectan-
dam esse. Ita enim Potentissimus Legislator
Saxo, in laudato *Decret. Synod. general. c. l.*
praecepit: Und damit künfftig die Leute nicht
mehr dißfals gefähret werden, so sollen die
Pfarrer und Superintendenten, wenn straf-
bare Fälle vorkommen, alsobald solche dem
Consistorio zu erkennen geben, und nicht biß
zur Beicht, zuförderst bey denen krancken Per-
sonen,

sonen, sparen, oder, NB. so lange die Leute ab- und aufhalten, biß sie mit Bescheid versehen worden. Welches wir hiermit, bey Vermeidung Unsers ernsten Einsehens, gäntzlich wollen verbothen haben. Quo loco tamen, ne peccatores sibi persuadent, se, per admissionem ad S. Coenam, genus hoc poenae, ubi semel usu stabilitum est, effugere, haec cautio praecipienda Pa oc iis, ut eos, ante absolutionem, moneant, q od inposterum nihilosecius, suo tempore, poenitentia publica, ubi, post litem finitam, decreta fuerit, ipsi s subeunda sit. Add. *B. Beier. in addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 287.*

§. XIX. Impoenitentes quod attinet, eos, ad sacra haec, admitti non debere, certum est. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. ibi:* Er sey dann impoenitens. Iudicium uero, quis pro tali habendus, non est penes singulos Sacerdotes, sed ab Ecclesia repraesentatiua, seu Consistorio, expectari debet. Sane, si id singulis Pastoribus relinqueretur, haud raro pessime, cum parochianis, actum esset. Sacerdotes enim non minus, ac alios homines, affectibus suis saepenumero indulgere, constat. Unde nil, nisi graues turbae, in Ecclesia, orituræ erant, praesertim, cum hoc iudicium, per se difficillimum, & anceps, sit. Quisque enim, qui absolutionem

appellantur, Beichter, seu Bekenner, ut docet *B. Lutherus. T. VI. Altenb. fol. 117.*

§. III. Confessio est, uel interna, uel externa; illa fit Deo, atque, ad salutarem Coenae Dominicae usum, omnino necessaria est. *Psalm. XXXII. 3. 1. Jo. I. 9.* eademque inest contritioni cordis, quae, cum fide, duas partes essentiales poenitentiae, absoluit.

§. IV. Externa Confessio, uel dirigitur ad proximum, a nobis laesum, quae itidem necessaria est, *Jac. V. 16.* Bekenne einer dem andern seine Sünde. *add. Matth. V. 23.* Wenn du deine Gabe auf den Altar opfferst, ꝛc. uel publice Ecclesiae, aut, remotis arbitris, soli Sacerdoti, uelut in aurem, fit; unde etiam auricularis, die Ohren-Beichte, uocatur. Haec absolute necessaria haud est, neque a Deo praecepta. Quod argumentum, praeter ceteros, látissime executus est *Dallaeus, in pecul. Tr. de Confessione auriculari.* Add. *Bechmann. in Theolog. Conscient. Sect. 3. cas. 10. p. 137.* Idemque agnoscit, & absolutionem priuatam, per se, inter res adiaphoras, expresse refert *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. ibi:* Denn ob es wohl an ihm selbst ein frey Ding ꝛc. & *B. Lutherus T. VII. Ien. fol. 10.* hanc libertatem, exemplo suo, ita adstruit: Und ich, D. Martin, selbst ungebeichtet hinzugehe, daß ich mir nicht selbst eine nöthige Gewohnheit

heit mache im Gewissen, doch wiederum der Beicht brauche, ꝛc. & *ibid. fol. 12. b.* Sonderlich soll man denen Leuten in der Predigt ausstreichen, doch so ferne, daß es alles frey bleibe, denenjenigen unverbothen, die der Absolution brauchen wollen, wiederum diejenigen ungezwungen, (zuvor, so sie wohl berichtet im Glauben und Leben Christi sind) so alleine GOtt beichten wollen, und das Sacrament drauf nehmen, die soll man nicht weiter zwingen, denn es nimmts ein jeder auf sein Gewissen, wie Paulus sagt: Der Mensch prüffe sich selbst, ꝛc. *Item T. III. Altenb. p. 350.* cum tres confessionis species, unam, quae Deo, alteram, quae proximo, a nobis offenso, & tertiam, quae priuatim Sacerdoti fit, commemorasset, de hac ultima ita iudicat: Von dieser sagen wir nun so: wenn jene zwo öffentlich geschehen, ist man nicht schuldig, diese zu thun, GOtt weiß doch deine Sünde wohl, wenn du sie nur vor ihm, und hernach deinem Nechsten bekennest, sind die Sünden vergeben. Add. *idem, Tom. VIII. Altenb. p. 884. b.* & eius Kirchen-Postill, *P. I. in fin. rubr. Sermon.* von der Beichte, *p. 514. b.* editionis, cui praefatio Speneriana praemissa est; ubi, inter alia, haec tradit: Wiewohl es nicht gebothen soll werden, auf daß man sich nicht ein Gewißen drüber mache/ als müste

 man

man zuvor beichten, ehe man zum Sacrament gehe ꝛc. Vnde nec, in primitiua Ecclesia, regulariter obtinuit, nec hodie, in omnibus Ecclesiis Euangelicis, in usu est. Vid. *B. Beier. Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 275.* & hanc libertatem, publico Rescripto, stabiliuit *Potentiss. Borussorum Rex, Fridericus I. A. 1698.*

§. V. Imo, ne quidem inter Pontificios, adhuc seculo XII. tempore Gratiani, auricularem confessionem, simpliciter necessariam fuisse, liquet ex *c. quamuis. 89. d. poenit. dist. 1.* sed non ita multo post *Lombardus, L. IV. sentent. dist. 16. seq.* publice docere coepit: Es wäre die Bekenntniß der Sünden gegen GOtt allein nicht genung, sondern müste auch gegen den Priester geschehen. Quo factum, ut deinceps *Innocencius III. Pontif. Rom. A. 1215.* in *Concilio Lateranensi I. Cap. 21.* decerneret, quemuis in posterum, ad minimum semel anno, omnia & singula sua peccata, clam, & priuatim, proprio sacerdoti confiteri debere; quae sanctio, insecutis temporibus, per *Synod. Florent. A. 1439.* & *Concilium Trid. Sess. 14.* confirmata est. Add. *c. omnis utriusque. 12. X. d. poenit. & remiss.*

§. VI. Arcanum politicum Pontificum Rom. quod, sub tali confessione auriculari, latitat, facile subodorari licet. Nullum enim,

nim, ad ſtabiliendum clericalem dominatum, & imperium in conſcientias, efficacius remedium erat, & reperiri non poterat alia commodior uia, in quaeuis laicorum, etiam Regum, & Principum, arcana conſilia penetrandi, quam tali laqueo iniecto, & neceſſitate, ſingula peccata ſacerdotibus enumerandi, iniuncta. Taceo, quod, hoc pacto, facile fuerit, miſerorum laicorum crumenas exenterare, ſatisfactionis loco, mulcta, pro lubitu, & facultatibus peccatoris, impoſita.

§. VII. Ab hoc abuſu confeſſionem auricularem, ſub tempus Reformationis, *B. Lutherus* purgauit, & neceſſitatem, omnia ſigillatim peccata confitendi, ſuſtulit, idque ut faceret, graues omnino cauſas habuit. Praeterquam enim, quod nullum, de ea, in S. literis, uel mandatum, uel exemplum, uel promiſſio, extat, perpetuis ſcrupulis, & dubiis, conſcientias onerat, imo rem prorſus impoſſibilem requirit. Delicta enim quis intelligit? *Pſalm. XIX. 13.* Ipſam uero confeſſionem priuatam, non reiiciendam, ſed propter multiplicem uſum, quem *B. Vir* paſſim luculenter demonſtrat, omnino retinendam eſſe, rectiſſime cenſuit. Conducit enim cumprimis illa 1) ad conſolationem conſcientiarum, 2) ad ſimpliciorum

& iuniorum informationem, 3) ad priuatas admonitiones, 4) ad specialiorem, de facta peccatorum remissione, certitudinem; de quo agit *B. Lutherus T. III. Altenb. p. 350.* Add. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. pr.*

§. VIII. Igitur conclamatum est, & nemo cordatus negat, quod confessio priuata, sacerdoti facienda, bona quidem & utilis, non tamen Iuris Diuini, sed humani ecclesiastici, sit. Add. *August. Confess. art. d. Confess. B. Beier. Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. c. l.* Quamobrem, illis in locis, ubi retenta est a Protestantibus, intermitti nequit, sed, ex necessitate legis ecclesiasticae, omnino adhibenda. Vid. *Ord. Eccl. Sax. cit. art. gen. 7.* Add. *Koenig. in Casib. Conscient. cap. 5. cas. 2.* Si modo, in tali confessione, & absolutione, tanquam opere operato, non praecipuum poenitentiae caput, ut, proh dolor, in plerisque animaduertere licet, *constituatur. Quem abusum recte & pie notauit *B. Spenerus*, im *Theologi*schen Bedencken, *P. II. Cap. 3. §. 3.* ubi ita loquitur: So ist wohl der schreckliche Mißbrauch, und nur allzugemein, daß sich die Leute einbilden, wenn sie nur gebeichtet, und Absolution empfangen hätten, wäre alles gut, und die Sünde ihnen gewiß von GOtt vergeben, ob schon das geringste von wahrer Buße nicht in ihren Hertzen ist.

Cui

Cui malo Parochus, per frequentes admonitiones, tam publicas, quam priuatas, medelam aliquam afferre poteſt, & debet.

§. IX. Quod uero ſacrum hoc negotium, rationem Sacramenti, proprie dicti, non habeat, ut Pontificii comminiſcuntur, manifeſtum eſt. Praeterquam enim, quod inſtitutio diuina deficit, nulla hic res uiſibilis oſtendi poteſt, ſub qua, inuiſibilem gratiam, & bona, Deus nobis exhibeat, & obſignet; neque enim, pro tali re, actus tranſiens confitentis, ullo modo haberi poteſt.

§. X. Ceterum nemini, qui peccatorem ſe in genere fatetur, & abſolutionem a ſacerdote petit, haec regulariter deneganda. Igitur, ut quis ſpeciatim, hoc uel illud, delictum confiteatur ipſi, neceſſe haud eſt; neque is, ſpecialem huiusmodi confeſſionem, iure exigit; ne, quod ſolamen conſcientiarum eſſe debeat, in torturam ſpiritualem, & medium, eruendae ueritatis, degeneret. Idemque *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7.* §. Wie aber. diſertis uerbis praecipit: Alſo ſollen auch, die Kirchen-Diener, nicht vorwitzer Weiſe, von ihren Beicht-Kindern fragen, was ihnen nicht gebeichtet worden. Qua in re ſaepiſſime Paſtores peccare, & impingere, experientia docet.

§. XI. Hinc facile iudicari poteſt, quid ſenti-

ſentiendum ſit de caſu, quando maleficus confeſſionem criminis, per tormenta expreſſam, poſt ratificationem, reuocat, & nihiloſecius, a peccatis abſolui, atque ad uſum S. Coenae admitti, cupit. Male enim ſacerdos agit, & officio ſuo abutitur, ſi hunc, proprio auſu, ab his ſacris arceat; praeſertim, cum fieri poſſit, ut iuſta ſit ſententia iudicis, quippe quae, in foro externo, ex actis & probatis fertur, & tamen reus innocens ſit, puta, ſi, tormentis ſuſtinendis impar, faſſus ſit crimen, quod nunquam perpetrauit. Talis ſane maleficus, contra conſcientiam, ageret, ſi, ad ſupplicium licet ducendus, nocentem ſe, erga ſacerdotem, profiteretur. Quod ſi igitur in genere confiteatur peccata, quamuis crimen, propter quod ultimo ſupplicio afficiendus eſt, conſtanter neget, ſuamque, illius intuitu, innocentiam urgeat, abſolutione, & ſalutari uiatico, priuari nequit. Cuius generis caſus anno 1724. hic Wittebergae contigit; quem Confeſſionarius malefici, *Wallmann* dicti, *Summe Reuer. D. Charitius, Archi-Diaconus hic Vitembergae longe Meritiſſimus*, peculiari & erudita Commentatione, quae omnino legi meretur, diſtincte expoſuit.

§. XII. Sed, de iure denegandi abſolutionem, & Coenam Dominicam, propter rei graui-

grauitatem, paulo accuratius, & diſtinctius, agendum. Apud ueteres Chriſtianos nemo, ab uſu S. Euchariſtiae excludebatur, niſi excommunicatus, &, qui huic ſimilis erat, in ſtatu poenitentium conſtitutus, reliqui, ſine diſcrimine, admittebantur omnes; moniti tamen prius, ut, ſi qui grauiorum criminum, propter quae communione eccleſiaſtica priuandi eſſent, conſcii ſibi forent, ſponte abſtinerent; quod & a quibusdam fiebat. Vid. *c. 15. d. Conſecr. diſt. 2.* Vbi haec Hilarii ſententia refertur: *Si non ſunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non debet ſe a medicina corporis, & ſanguinis, Domini ſeparare.* Igitur nullus, etſi impius, aut notorius peccator, eſſet, modo in communione eccleſiaſtica uiueret, ab his ſacris repellebatur.

§. XIII. Vnde intelligitur, ignotam olim fuiſſe excommunicationem, quam uocant, minorem; ubi quis membrum eccleſiaſticae communionis manet, & nihiloſecius ab abſolutione, & uſu Coenae Dominicae, arcetur. Recentius hoc inuentum eſt, publicis ordinationibus poſtea ſtabilitum; quam tamen excommunicationem decernendi ius Parochus non habet, ſed cauſa, ad Superintendentem, & ab hoc, ad Conſiſtorium, referri debet; quod nomine Eccleſiae, cui proprie hoc ius competit,

petit, ab his ſacris excludendi, poteſtatem exercet.

§. XIV. Quando autem Conſiſtorium, cauſa cognita, quemquam admittendum eſſe, decernit, officium ſacerdotis poſtulat, ut, ſine mora, obſequium praeſtet perinde, ac ſi Eccleſiae uocem audiret. Quod ſi quis, obtentu conſcientiae ſuae, & neſcio, cuius contumaciae piae, & ſacrae, obedire detrectet, non miretur, aut ægre ferat, ſi, gradibus admonitionum adhibitis, ſuſpenſionem, & tandem remotionem ab officio, incurrat. Qui modus procedendi nihil habet, uel a Verbo Diuino, uel praxi primitiuae Eccleſiae, alienum. Exemplum, huiusmodi contumaciae, ſuppeditat *Tölnerus*, Paſtor quondam pagi, prope Lipſiam ſiti, qui, ruſticis ſuis, niſi uſum Cereuiſiae Pentecoſtalis, des Pfingſt-Biers, eiurarent, abſolutionem denegabat, in eoque propoſito, ſaepius licet, admonitus a Conſiſtorio Lipſienſi, perſeuerabat, eamque ob cauſam tandem, munere ſuo exutus, ſcriptis publicis contumaciam ſuam, uelut piam & ſacram defendebat; cui acri ſtylo, *Titius, JCtus Lipſienſis*, reſpondit.

§. XV. Hac de re luculenter cautum eſt, in legibus Eccleſiaſticis Saxonicis, & ſigillatim in *Decret. Synod. p. 337. Corp. Jur. Eccl.* ubi

ubi haec uerba notari merentur: So viel auch vor den Beicht-Stuhl kommen, die sich für arme Sünder erkennen, und bekennen, und um die gnadenreiche Absolution, auch Mittheilung des H. Abendmahls anhalten, darneben Besserung ihres Lebens vor GOttes Angesicht zusagen, denen allen und ieden sollen die Pfarrer und Diaconi die gebethene Absolution unweigerlich wiederfahren lassen, und niemand auf eigene Erkenntniß trostloß von sich gehen lassen. Add. *Decret. Synod. Reuis. p. 374.* & *Res. Grau. d. A. 1661. tit.* von *Consistorial*-Sachen. *§. 19. p. 451. in fin. ibi:* So ist Unser ernstlicher Will und Meinung, daß keiner von denen Geistlichen, bey Verlust seines Dienstes, oder anderer hohen Strafe, ohne gehaltene Verhör, und aus unsern Consistorien erfolgte Erkenntniß, eines seiner Pfarr-Kinder von der Tauffe, Beicht-Stuhl und Abendmahl stossen, und, da sich einer eines wiedrigen anmasset, der gesetzten Strafe erwarten solle, & in *Ord. Eccl. art. gen. 10.* in huiusmodi causis Consistorium Ecclesiam repraesentare dicitur, *ibi:* Für die Kirche, das ist, vor die Verordneten des Consistorii &c.

§. XVI. Cum etiam, multis in locis, propter certa delicta, speciatim contra sextum praeceptum, admissa, poenitentia publica, die Kirchen-Buße, recepta sit, obseruandum, quod

quod, huius intuitu, admiſſio, ad abſolutionem, & S. Euchariſtiam, differri haud debeat. Primo enim haec, ad remiſſionem peccatorum, a Deo impetrandam, neceſſaria haud eſt; cum, ſine illa, contritio cordis, & uera fides, eſſe poſſit. Deinde multum ea ab inſtituto ueterum, degenerauit, & hodie, ſi, quod res eſt, dicendum, reuera poenae ciuilis rationem habet, atque ignominioſa eſt; quod olim longe ſecus. Unde etiam in Saxonia regulariter in uſu haud eſt; nec, ubi per conſuetudinem non inualuit, ſine Principis praeſcitu, introduci poteſt. Ita enim in *Decret. Synod. general. p. 341. a Corp. Jur. Eccl.* expreſſe diſpoſitum; daß kein Pfarrer, noch Superintendent, befugt ſeyn ſoll, an denen Orten, da nicht vor ſeiner Zeit dergleichen Kirchen-Buß gebräuchlich geweſen, ſolche anzuordnen, und da dergleichen an Unſere Conſiſtoria etwas ſolches gebracht würde, ſo ſollen ſie doch iederzeit, mit Unſern Bewuſt, hierinnen handeln, und decretiren.

§. XVII. Fruſtra eſt, quod illi, qui hanc poenitentiae externae ſpeciem, Iuris Diuini eſſe, contendunt, obiiciunt, quod per eandem, peccator Eccleſiae reconcilietur, propter ſcandalum datum, offenſae; praeſertim, quia nec, ſine reconciliatione, cum priuato, a nobis laeſo, uera poenitentia locum

cum habere possit. Quae obiectio, uel hoc solo, destruitur, & corruit, quod, eius loco, sufficiat mulcta, aerario Ecclesiastico inferenda, id quod non tantum praxis quotidiana, sed & laudatum *Synod. Decret. c. l.* his uerbis expresse comprobat: Wo aber das Abbitten von der Cantzel, item das Knien vor dem Altar, das Stehen vor der Kirche, und dergleichen, längst üblich gewesen, daselbst sollen doch die Pfarrer vor sich selbst solche Strafe niemahls anordnen, sondern alle Fälle an ihre Superintendenten, und dieselben hinwieder an die Consistoria berichten, welche Macht haben sollen, nach Befinden der Verbrechung, und Beschaffenheit der Sache, entweder eine solche Kirchen-Buß, oder an derselben statt, eine Geld-Strafe in das GOttes-Hauß zuverordnen. Neque enim puto, ad scandalum, ab Ecclesia remouendum, magnopere facere, si peccator ueteri, uel noua, sexagena, mit einem alten oder neuen Schock, quae utplurimum dictari solet, pauperior recedat. Et quidni hoc reconciliandi medium, si, citra illud, remissio peccatorum, & uera poenitentia, locum habere nequeat, etiam propter alia peccata, non minus scandalosa, inprimis ambitionem, auaritiam, calumnias, &c. adhibetur?

§. XVIII. Itaque Pastoribus falsa, & fere

G com-

communis persuasio, quae plerorumque animis firmiter insedit, & uelut infixa est, omnino eripienda, & serio ipsis inculcandum, in quanto errore uersentur, dum illis in locis, ubi poenitentia publica usu inualuit, peccatoribus aditum ad absolutionem, & S.Synaxin, tamdiu intercludunt, donec, illo poenae genere, siue in natura, ut uulgo loquuntur, siue per surrogatum, mulctam scil. pecuniariam, defuncti sint. Quo pacto fieri solet, ut quandoque, inter moras processus inquisitorii, contra reum, forte nondum confessum, aut conuictum, instituti, plures anni elabantur, quibus eundem, non sine graui salutis discrimine, absolutione & S. epulo, carere oportet. Intelligere, & meminisse debebant, incauti Parochi, si tali casu animam, pabulo salutari priuatam, perire contingat, non tantum DEo olim rationem reddendam, sed &, in foro externo grauem poenam expectandam esse. Ita enim Potentissimus Legislator Saxo, in laudato *Decret. Synod. general. c. l.* praecepit: Und damit künfftig die Leute nicht mehr dißfals gefähret werden, so sollen die Pfarrer und Superintendenten, wenn strafbare Fälle vorkommen, alsobald solche dem Consistorio zu erkennen geben, und nicht biß zur Beicht, zuförderst bey denen krancken Personen,

ſonen, ſparen, oder, NB. ſo lange die Leute ab- und aufhalten, biß ſie mit Beſcheid verſehen worden. Welches wir hiermit, bey Vermeidung Unſers ernſten Einſehens, gäntzlich wollen verbothen haben. Quo loco tamen, ne peccatores ſibi perſuadent, ſe, per admiſſionem ad S. Coenam, genus hoc poenae, ubi ſemel uſu ſtabilitum eſt, effugere, haec cautio praecipienda Pa oc is, ut eos, ante abſolutionem, moneant, q od inpoſterum nihiloſecius, ſuo tempore, poenitentia publica, ubi, poſt litem finitam, decreta fuerit, ipſi s ſubeunda ſit. Add. *B. Beier. in addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 287.*

§. XIX. Impoenitentes quod attinet, eos, ad ſacra haec, admitti non debere, certum eſt. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. ibi:* Er ſey dann impoenitens. Iudicium uero, quis pro tali habendus, non eſt penes ſingulos Sacerdotes, ſed ab Eccleſia repraeſentatiua, ſeu Conſiſtorio, expectari debet. Sane, ſi id ſingulis Paſtoribus relinqueretur, haud raro peſſime, cum parochianis, actum eſſet. Sacerdotes enim non minus, ac alios homines, affectibus ſuis ſaepenumero indulgere, conſtat. Unde nil, niſi graues turbae, in Eccleſia, oriturae erant, praeſertim, cum hoc iudicium, per ſe difficillimum, & anceps, ſit. Quisque enim, qui abſolutio-

 nem

nem petit, prae se fert poenitentiam, sed, utrum haec uera, & seria, an simulata sit, fere ad occulta cordis humani pertinet, de quibus solus Deus, qui καρδιογνώστης est, iudicat

§. XX. Fac enim, quemquam notorie in peccato mortali uiuere, & tamen subinde, ut fieri solet, statis temporibus, absolutione, & S. Eucharistia, nihil mutato uiuendi genere, uti; talis ut seuere admoneatur, officium Pastoris, sine dubio, exigit, simulabit autem, ne repulsam ferat, se iam peccatorum seria poenitentia duci, eamque, de uita emendanda, promissionem toties repetet, quoties de nouo, a peccatis absolui, petet. Quod, etsi centies, nihil mutatus, fecerit, omnisque resipiscendi spes in eo decollauerit; nondum tamen omnino certum est, eum exclusionem mereri. Quis enim scit, annon iam tandem illud tempus uenerit, ubi peccatoris, hactenus contumacis & uelut obdurati, poenitentia sit seria; quam, subtracto conuiuio sacro, cum singulis momentis homini extrema immineant, haud confirmari, periculosum est. Saltem subdubito, inter centum Pastores, uel unum fore, qui, in re, tam grauis momenti, debita moderatione, atque prudentia, usurus sit.

§. XXI.

§. XXI. His autem, grauiter obſtare, uidetur, quod ſacerdotes, iure ligandi, ſeu clauium, gaudeant, a quo hoc ius, indignos a ſacris his arcendi, fluere, neque ab eo diuelli poſſe, uolunt. Cui dubio ut occurramus, paulo penitius uidendum, quid ius ligandi ſit, & quo usque ſe extendat. Sedes eius eſt *Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. Jo. XX. 23.* ubi, per claues regni coelorum, die Schlüſſel des Himmelreichs, doctrinam Legis, & Euangelii, intelligendam eſſe, quam Petrus Ethnicis primus praedicauit, & ſic regnum coelorum ipſis aperuit, extra dubium eſſe, reor. Sed, quo ſenſu, ligandi, & ſoluendi, poteſtas, quam Saluator primum Petro, & deinceps reliquis etiam Apoſtolis, dedit, accipienda ſit, multi hactenus dubitarunt. Si *Jo. Seldenum, de Synedr. Veter. Hebraeor. L. I. c. 9.* & *Jo. Lightfoot. in Hor. Hebr. ad Matth. XVI. 19.* conſulas, uterque in ea opinione eſt, quod ligare, & ſoluere, binden, und löſen, idem ſit, ac prohibere, & permittere, ſeu decernere, quid licitum, uel illicitum, ſit. Id quod, ex dialecto Hebraica, qua Chriſtum, cum haec uerba pronunciaret, uſum fuiſſe, demonſtrare uolunt, & antiquitatibus Rabbinicis, euincere conantur; ut, ex eorum mente, ſenſus, uerborum Chriſti, hic ſit: Quicquid, ex lege

ceremoniali Mosaica, prohibere, uel adhuc permittere, uellent Apostoli, id ratum in coelis fore; eoque fine etiam uerbum, ὅσα, quod res, non personas, significet, urgent. Quam explicationem, cum inter nugas retulisset *Scherzerus*, Theologus Lipsiensis, eandem, quod miror, *Jo. Bened. Carpzouius*, & ipse Theologus Lipsiensis, qui maximus semper Orthodoxiae propugnator habitus est, publice defendit, in epistola, *Editioni Hor. Hebraic. Lightfootii* praemissa; ubi tanto feruore eam approbat, ut eum, qui has nugas dicat, nugatorem omnium maximum appellare, non uereatur; eandemque postea certatim alii, magno consensu, amplexi sunt. Sed, praeter ceteros, confutauit illam *B. Fechtius*, in *Diss. de Claue ligante, & soluente*, quae adiecta est Tractatui, quem, de Excommunicatione Ecclesiastica, scripsit.

§. XXII. Ego, a communi nostratium sententia, quod nempe, per ius ligandi, & soluendi, potestas retinendi, & remittendi, peccata, cumprimis indigitetur, hic recedere, religioni duco. Sed tamen id simul animaduertendum est, quod talis potestas Ecclesiae proprie data sit; quae illam ordinarie, per Sacerdotes, exercet. Idemque

uel

uel inde intelligitur, quia, in casu necessitatis, etiam laicus, confessionem audiendi, & absolutionem, Dei loco, impertiendi, facultatem habet. Neque sane aliter docuit *Megalander Lutherus*, *T. II. Altenb p. 186.* Darum ist niemand bestimmet, dem die Schlüssel gehören, denn die Kirche, die Christliche Kirche hat allein die Schlüssel, sonst niemand. Neque est, quod inter *τὸ radicaliter*, & *ministerialiter*, distinguas. Ministerium enim non longius se extendere potest, quam principalis, h. e. Ecclesia, uult; hactenus uero illam potestatem Ecclesia, per Sacerdotes, administrat, ut hi, uirtute officii, peccatores, seriam poenitentiam prae se ferentes, a peccatis absoluant; qui simul, si poenitentia seria haud sit, hoc ipso uirtualiter ligantur, seu peccata ipsis retinentur. Imo &, eo ipso, cum Sacerdotes publice Verbum Diuinum praedicant, absoluunt & ligant. Denn, wenn man prediget, uerba sunt *B. Lutheri*, *c. l.* Wer da gläubet, der wird seelig, das heist, aufschliessen; wer nicht gläubet, der ist verdammt, das heist, zuschliessen, und binden. Amplior potestas necessaria haud est, aeque tam graue negotium, ubi quis, ab absolutione, & usu Coenae Dominicae, pellendus est, Ecclesia, singulis Sacerdotibus, delegasse, sed sibi reseruasse, intelligitur,

 no-

nomine illius, hodie per Consistoria, quibus gubernatio Ecclesiae commissa est, expediendum. Vocatur uulgo, der Binde-Schlüssel; quod uocabulum, licet empaectae rideant, & salse traducere soleant, nihil tamen habet, a natura negotii, atque muneris, alienum, & claues etiam, iungendis catenis, & uinciendis delinquentibus, inseruire, nemo, nisi rerum quotidianarum ignarus, negare potest.

§. XXIII. Cum excommunicatio minor, seu exclusio ab absolutione, & S. Coena, non sit in potestate Parochi, ut uidimus, multo minus excommunicatio maior, ubi quis prorsus, e communione ecclesiastica, eiicitur, ab eius arbitrio pendebit, sed illa, ab Ecclesia, per Consistorium hodie, decerni debet. Modus procedendi luculenter describitur, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 10.* eumque diligenter explicuit *B. Zieglerus, in Tr. de Superintendente, c. 18.* Add. *Matth. XVIII. 15. seqq.* Exemplum, de incestuoso Corinthio, Satanae tradito, extat *1. Cor. V.*

§ XXIV. Ad hanc excommunicationem rarissime, nec, nisi maxima cum circumspectione, deueniendum esse, ostendunt Responsa Thologica, aeque, ac Iuridica, quae recensui, in *Select. Obs. For. P. VIII. Obs. 307. Vol. V.* Quamuis uero dolendum, quod

quod hodie disciplina ecclesiastica multo laxior sit, quam apud primos Christianos fuit, non tamen apparet, quomodo rigor, ab illis adhibitus, in hoc corrupto Ecclesiae statu, in usum deduci possit. Illi enim, apud quos simplicitas fidei, cum studio pietatis, unice uigebat, id uno spiritu omnes agebant, ut neminem, qui, praeter nomen Christiani, nihil afferret, breuiter, qui fidem, operibus suis, destrueret, cuiusue actiones, cum perpetuo aliorum scandalo, coniunctae essent, in coetu suo tolerarent. Inter peccata autem scandalosa, non tantum homicidia, adulteria, furta, sed uel maxime fastus, aliorumque contemtus, auaritia, persecutio proximi, studium calumniandi, similiaque, fuerant. In tales uero omnes, qui his uitiis, & quidem ex proaeresi, laborant, si hodie excommunicationis fulmen euibrandum esset, bone Deus! quam pauci, etiam inter ipsos Sacerdotes, in Ecclesia remansuri essent? Nam, & horum plerosque, perinde, ut alios, secure in diem uiuere, & nihil minus, quam de exuendo ueteri Adamo, cogitare, h. e. extra statum gratiae constitutos esse, satis opera eorum produnt.

§. XXV. Et sane, quod scandalum grauius, & magis publicum, esse queat, quam si

parochiani animaduertant, Parochum quidem suum, cum uerba e suggestu facit, studium humilitatis, amorem proximi, liberalitatem erga pauperes, ceteraque Christianae caritatis opera, tanquam necessarios, ut reuera sunt, fidei fructus, inculcare, simul uero, quotidie experiendo, discant, neminem ipso, magis auarum, magis ambitiosum, & magis contentiosum esse; neminem, odio priuato, inuidiae, uindictae, calumniis, plus indulgere; neminem uehementiori persecutionis spiritu duci, atque ad iniurias, & damna, proximo inferenda, procliuiorem esse; & hunc tamen, posthabito omni pudore, haud erubescere, & uereri, publice auditoribus, praeter doctrinam, suum uiuendi exemplum, quod imitentur, proponere. Tales uero Clerici, spectata ueterum disciplina, omnium primi, e coetu Christianorum, eiiciendi, & proscribendi forent. Quod, quam parum, a corrupto hoc statu, qui tam altas hodie radices egit, & paucos intactos reliquit, expectandum sit, quiuis facile uidet, atque intelligit; & metuendum, ne & hic praxis uulgata: *Dat ueniam coruis, uexat, censura, columbas*, locum habitura sit.

§. XXVI. His praestructis, satis mirari nequeo, qui factum, quod non solum *Carpzouius*

zouius in Jprud. Eccl. L. II. def. 281. ſed &, eum ſecutus, *Schilterus, Inſt. Iur. Can. L. II. t. 4. §. 5.* ſtatuant, eos, qui, publico cum ſcandalo, deliquerunt, usque dum publice poenituerint, & deprecati ſint, ab abſolutione, & S. Coena, excludendos eſſe. Primo enim hoc expreſſe repugnat *Ord. Eccl. Sax. c. l.* quae talem excluſionem ſeuere, & ſub graui poena, prohibet. Deinde oſtendi, hoc pacto fieri, ut multis etiam Parochis, ob uitam ſcandaloſam, niſi publicam poenitentiam egerint, abſolutio denegari debeat; quod fieri poſſe, uel debere, pauciſſimi, ex eorum numero, propter nouum, quod ſibi fingent, ſcandalum, concedent. Accedit, quod deprecatio publica, ut clariſſime euici, nequaquam Iuris Diuini, aut a Deo praecepta ſit, ſed ad conſuetudines eccleſiaſticas, quae, niſi receptae probentur, haud obligant, referri debeat.

§. XXVII. Elumbia ſunt, quibus *Carpzouius c. l.* utitur, argumenta. Ait, facinoroſum, ſi micam adhuc conſcientiae habeat, deprecationem haud detrectaturum. Atqui facinoroſus non tantum eſt homicida, blaſphemus, adulter; ſed & manifeſte ambitioſus, hypocrita, auarus, litigator, & proximi perſecutor, quamuis eccleſiaſtici ordinis ſit. Talis uero

ro nunquam adduci poterit, ut, aequo animo prius, quam Collega ipsum a peccatis absoluat, publice deprecetur. Et sane, quo conscientiae stimulo, nisi uano, atque inani, moneri quis poterit, ut, id sibi ad poenitentiam necessarium, credat, quod Deus nullibi praecepit, & in ritu adiaphoro, non, nisi illis in locis, ubi usu inualuit, locum habente, consistit?

§. XXVIII. Vrget deinde *Carpzouius*, *c. l.* offensionem Ecclesiae, cum qua, mediante deprecatione, reconciliatio ineunda sit. Sed hoc scandalum, si, pro hodierno Christianorum statu corrupto, non omnino cerebrinum est, poena ciuili & publica, quae reliquos terret, facile tollitur. Deinde ostendi illa hypothesi semel admissa, plurimis etiam Sacerdotibus, hanc deprecationis speciem, subeundam esse; praesertim cum ipse *Carpz. c. l.* dictum, *1 Cor. V. 11.* ubi auarus, maledicus, & ebriosus, cum fornicatore, & idolis seruiente, in eadem classe locantur, huc applicet; a quibus uitiis non adeo multos Parochorum immunes esse, nec tamen propterea ab officio statim suspendi, aut remoueri, experientia docet. Atqui tales, ni fallor, in malam rem abire iubebunt illum, qui & ipsos poenitentiae publicae subiicere uelit; & uereor, ne id ipsum

ipsum, pro tam graui peccato, accipiatur, ut, publica deprecatione, illud expiandum esse, existiment. Satius igitur est, utrosque, & Clericos, & laicos, ab ignominioso huiusmodi actu, nisi ubi, consuetudine, introductus est, absolui; cum is reuera, a poenae ciuilis conditione, nihil quicquam distet; quo ipso simul reliquae ratiunculae Carpzouii corruunt, & dissipantur.

§. XXIX. Contra ea recte sentit *Carpz. c. l. def. 275.* quod, ubi recepta est deprecatio publica, eandem subire non teneatur reus, pendente inquisitionis processu, quamdiu confessus crimen, aut de illo conuictus, haud est. Quo facit *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 11.* & ne quidem admonitio publica, quam idem *c. l. def. 287. n. 14. seq.* commendat, nisi ubi inualuit, sine praescitu Consistorii, adhiberi debet. Cuius auctoritas, apud Saxones, quod probe notandum, etiam tunc necessaria est, quando reus crimen est fassus, & poenitentia publica, in ciuitate, uel pago, in usu est, iuxta *Decret. Synod. d. A. 1624.* §. Und nachdem wir. Add. *Carpz. Jprud. Eccl. L. III. t. 7. def. 85.* Cuius sententiam frustra uellicat *Brunnemannus, in J. Eccl. L. II. c. 19. §. 25.*

§. XXX. Qui furtum, rapinam, simileque delictum, admisit, ab absolutione repellen-

pellendus haud eſt, quamuis damni reſtitutio nondum ab eo ſit facta; ſi modo promiſſa, atque poſſibilis ſit. *Schilt. in Inſt. Iur. Can. L. II. t. 4. §. 9.* Atque ita intelligendum eſt uulgatum illud: Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Multoque minus arceri meretur, qui, delicti reus, innocentem ſe, uel tormentis, uel iure iurando, euicit.

§. XXXI. Sicuti uero, ad abſolutionem impetrandam, confeſſio externa, ſecundum leges eccleſiaſticas, regulariter requiritur, ita nihil intereſt, utrum haec uerbis, an, a muto & ſurdo, nutu, geſtibus, per ſcripturam, aut alio modo, fiat. Sicuti etiam aegrotus, cui ſaeuitia morbi impedimentum obiicit, quo minus edere confeſſionem ualeat, abſoluendus eſt. Nemo tamen, niſi in primariis, Chriſtianae religionis, principiis, ſatis eruditus, admitti debet. Cuius uero aetatis quis ſit, nihil intereſt; ut tamen non facile, ante annum XII. aditus ad haec ſacra detur. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7.* Qua in re, multorum Clericorum, diligentiam deſidero, qui muneris ſui immemores, haud raro; ſine diſcrimine, admittunt omnes, qui ſe ipſis offerunt, & formulam confeſſionis recitant, parum ſolliciti, utrum fundamenta fidei Chriſtianae perſpecta habeant, nec ne.

§. XXXII.

§. XXXII. Namque, proh dolor! non unius exempli recordor, ubi homines, qui in Consiſtorio noſtro, de periurio uitando, admonendi erant, de religione interrogati, nihil quicquam, uel de Deo, & SS. Trinitate, uel de Saluatore noſtro, ſciebant, & tamen ſaepenumero ad abſolutionem, & S. Coenam, ſe admiſſos fuiſſe, confirmabant, formulam confeſſionis, qua uſos ſe eſſe dicebant, ad unguem callentes. Quod rurſus, de maximo abuſu, & ſcandaloſa, multorum Eccleſiae miniſtrorum, ſocordia, teſtatur.

§. XXXIII. Cum uero diſtinctae debeant eſſe perſonae, quae abſoluit, & quae abſolutionem petit, conſequitur, neminem ſe ipſum abſoluere poſſe, ſi uel maxime caſum neceſſitatis, ubi copia Sacerdotis deeſt, praeſtruas; quamuis, ſi id tali caſu fiat, non uideam, quomodo ſalutarem poenitentiae fructum impedire queat. Cum enim, ut ſupra demonſtratum, huiusmodi externa confeſſio, & abſolutio, ad remiſſionem peccatorum, Iure Diuino, neceſſaria haud ſit, ſed ſufficiat contritio, & fides, nihil omnino in effectu referre poteſt, utrum quis, Sacerdote deſtitutus, & forte falſa perſuaſione ductus, ſe ipſum abſoluat, nec ne; cum utique iam, propter ſeriam, quam ſuppono,

no,

no, poenitentiam, a peccatis, coram Deo, absolutus sit.

§. XXXIV. Neque uero, ad confessiones excipiendas, & absolutionem dandam, Iure Can. character Sacerdotis sufficit, sed insuper, ut quis confitentis proprius Sacerdos sit, requiritur. *c. 12. X. d. poenit. & remiss.* ubi, expressis uerbis, quisque fidelis, proprio Sacerdoti, confiteri iubetur, & in *c. 4. X. eod.* dicitur, quod, a non suo iudice, ligari, nullus ualeat, uel absolui.

§. XXXV. Nempe Pontificii, peculiare uelut forum poenitentiale, formarunt, ad modulum, iudicii secularis, extructum. Quemadmodum igitur, in hoc, nemo alterum, uel absoluere, uel condemnare, potest, nisi competens iudex sit; ita idem illud, in foro poenitentiali, requirunt, nec minus pro irrita habent absolutionem, ab extraneo Sacerdote profectam, quam sententiam, a iudice incompetente, latam. Hinc, si uel maxime a Canonistis detur, per Ordinationem, Clerico ius ligandi, & absoluendi, conferri, negant tamen, ius illud ab eo exerceri posse, nisi subditos, seu parochianos, habeat. Imo, si forum poenitentiale, cum ciuili, recte conferas, liquet, illius conditionem duriorem longe, quam huius, esse. Ciuilem enim iurisdictionem prorogare quis, & alieni iudicis

dicis decisioni se submittere potest; sed confessionarium, semel electum, nisi eius, uel superioris, consensu, mutare haud licet. *c. placuit. 3. d. poenit. dist. 6.* Quare etiam quaedam paternitas, & filiatio, unde Beicht-Vater, & Beicht-Kind, appellantur, inter utrumque intercedere, dicitur, quae & apud Pontificios matrimonium impedit. *c. 30. qu. 1. caus. 8. seqq.*

§. XXXVI. Ita Ius Canonicum. Cuius principia etiam Protestantes quodammodo sequi uidentur; nisi quod, in nuptiis contrahendis, uinculum illud, haud attendant, & alieni Sacerdotis absolutionem, per se, pro ualida, & efficaci, habeant, licet factum ipsum improbent, & reprehendant. Quae omnia rursus, non ad Ius Diuinum, sed humanum ecclesiasticum, referri debent. Neque enim, tempore Christi, & Apostolorum, tales parochiae, quales hodie dantur, & uelut causa ecclesiasticorum territoria, quibus ius cogendi, & prohibendi, annexum erat, dabantur. Posteaquam uero semel ita parochiae distinctae sunt, nemo utique regulariter, licentiam habet, extra Parochiam, sacris utendi, & Confessionarium eligendi. Quod institutum, cumprimis propterea, commendari meretur, quia quisque Parochus uitam, & mores,

ſuorum parochianorum, optime perſpectos habet; cum ex aduerſo, extraneus facile decipi, &, ex errore, impoenitentem abſoluere queat. Accedit; quod, ubi numus confeſſionarius, der Beicht-Pfennig, in uſu eſt, & pro parte ſalarii habetur, Parocho aliquid decedat, ſi quis parochianorum, extraneo confeſſionario utatur.

§. XXXVII. Recte igitur, per leges, uel conſuetudines eccleſiaſticas, haec, ad alium, relicto priori, confeſſionarium, tranſeundi licentia coërcita, & reſtricta eſt; ut haec mutatio nulli Parochiano, etiam in eadem Parochia, permittatur, niſi cauſa a Conſiſtorio prius cognita ſit, eiusque decretum acceſſerit. Vbi tamen, ſufficientem aliquando cauſſam eſſe, exiſtimo, ſicubi, u. g. propter lites, quae ipſi cum Parocho ſuo intercedunt, fiduciam, erga ipſum, deeſſe, appareat, daß er zu ihm kein recht Vertrauen haben könne, & is ceteroquin, nullum ſe animo rancorem, aduerſus ipſum, concepiſſe, aſſeueret. Haec duo enim longe diuerſa ſunt. Aliud eſt, odium deponere, & chriſtiano aliquem amore complecti, quod &, intuitu inimici, facere iubemur; aliud, fiduciam in eo collocare, eidemque pectus ſuum aperire, & intimos cordis receſſus, ut in priuatis confeſſionibus fieri poteſt, & ſolet

let, recludere; quod utique persuasionem, alterum, erga nos bene affectum, nostramque salutem eidem cordi esse, supponit. Igitur & hic libertati Christianae merito aliquid indulgendum, & a nimio rigore abstinendum est; praesertim, si quis Parochum suum, intuitu honorarii, ex consuetudine debiti, indemnem seruare uelit.

§. XXXVIII. Collator tamen, qui, pluribus in Ecclesiis, ius patronatus habet, in quacunque uelit, sacris uti, & Confessionarium eligere, potest. *Carpz. in Jprud. Eccl. L. III. def. 106. ibique B. Beier. in Addit.* quae libertas & illi haud deneganda, qui duo domicilia, in diuersis Parochiis, habet. *Boehmer. in Iure Paroch. Sect. 4. c. 1. §. 13.*

§. XXXIX. Locum quod attinet, confessiones priuatae, non in Parochi domo, neque in sacello, sed in templo publico, & quidem in choro, fieri debent. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. §.* Desgleichen. Consuetudine tamen receptum, ut, honoratiorum inprimis, confessiones, passim in sacristiis audiantur. Vbi tamen *B. Hornius in Annot. ad Schilt. Inst. Jur. Can. L. II. t. 4. §. 16.* prudenter monet, quod fores sacelli non clausae, sed apertae esse debeant, neque confessiones, praesertim feminarum, in locis secretis, permittendae sint. Fieri enim posset, ut nec pa-

ter spiritualis, solus cum sola, iuxta uulgatum illud, *pater noster* oraret. Quod eo diligentius praecauendum, quo magis experientia confirmat, inter ipsos Sacerdotes etiam, non paucos irregenitos esse, & extra gratiae statum uiuere.

§. XL. De tempore obseruandum, quod confessiones audiri regulariter non debeant, eodem die, quo sacra synaxis celebranda est; sed pridie, & a filialistis quidem, in Ecclesia matre. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7.* §. Und ob wohl. Add. *Decret. Synod. Reuis.* §. *31.* Excipiuntur tamen senes, aegroti, & feminee grauidae, inprimis partui proximae; quae, praesertim tempore hiberno, mane, ante administrationem S. Coenae, admitti queunt. *Ord. Eccl. Sax. c. l.*

§. XLI. Omnis etiam confusio, & ἀταξία, sedulo, ac diligenter, euitanda est. Unde in *Ord. Eccl. c. art. gen. 7.* cautum est, daß die Kirchen-Diener diejenigen, so beichten wollen, mit Ernst vermahnen sollen, daß sie sich alles Geschwätzes, und Waschens in der Kirche enthalten, sondern ein jeglicher soll an seinem Ort, so lange er noch nicht zur Beicht gelassen, sein Gebeth zu GOtt thun, und sich fleißig erinnern, wie sie Rechenschafft ihres Glaubens geben wollen, wenn sie derselben in der Beicht gefraget werden. Inprimis cauendum,

dum, ne confitentes ita ſe urgeant & premant, ut impediantur pectoris ſui arcana, ſi opus fuerit, Sacerdoti prodere. Senes etiam, & feminae grauidae, prae ceteris, audiri debent. *Ord. Eccl. c. l.* §. Weil aber beſonders.

§. XLII. Multis in locis receptum, ut Parocho, plerumque poſt factam abſolutionem, certum redhoſtimentnm, quod numus Confeſſionarius, der Beicht-Pfennig, appellari ſolet, uelut in grati animi ſignum, a confitentibus, offeratur. De quo ego ita iudico; quod per ſe quidem talis numus, ad res adiaphoras, ſeu indifferentes, pertineat; propter multas tamen & graues cauſas, ſatius ſit, eum abrogari, quam in Eccleſia retineri.

§. XLIII. Eius origo incerta eſt, & multis, hic numus ſucceſſiſſe, uidetur, in locum agaparum, quae, apud ueteres Chriſtianos, in uſu fuerunt; ex quibus ſemper portio aliqua Clericis relinquebatur. Sed magis probabilis illa coniectura eſt, quod eius origo referri debeat, ad tempora *Innocentii III. Pontificis*, qui primus auricularem confeſſionem fabricauit, atque ad indulgentias Romanas, poſteaquam hae, pro pecunia, impetrari coeperunt. Vid. *Petr. Muller. de nu-*

mo Confess. thes. 7. seq. & *Koenig. in Cas. Consc. art. de Confess. cas. 12.*

§. XLIV. Quod licitum sit, talem numum accipere, multis argumentis euinci solet; eoque fine allegatur *1. Sam. IX. 8.* ubi actus propheticus redhostimentum recepit. Idem, in festo expiationis, & sacrificio expiatorio, factum esse, liquet ex *Num. XXIX. 8.* & *Leu. V. 13.* Add. *Carpz. in Jprud. Eccl. L. 1. def. 118.* Accedit, quod utplurimum, huius munusculi intuitu, Clerici exiguis salariis instructi sint; pro quorum uelut parte illud haberi solet. Unde, non tanquam pretium absolutionis, sed ut honorarium, pro ministerio, spectari debet.

§. XLV. Sed multo grauiores rationes suppetunt, propter quas, hoc numi genus, auctis Clericorum salariis, eliminari, satius uideri possit. Primo enim, saltem uulgo Parochianorum, maximam criminandi occasionem, praebet, quasi Parocho, non tam aeterna salus, quam crumena ipsorum, cordi sit; praesertim, si, in audiendis confessionibus, ditiores pauperibus, quibus, ob rem domi angustam, non aeque liberalibus esse licet, praeferri uideant. Deinde experientia docet, inter ipsos etiam Sacerdotes, collegas, in eadem praesertim Parochia constitutos, numum hunc magnam

saepe

ſaepe inuidiam excitare ſolere; quae ſimultatibus, multisque aliis incommodis, anſam atque occaſionem ſuppeditat. Ex quo non poſſunt non grauiſſima ſcandala, in Eccleſia, oriri.

§. XLVI. Cumprimis uero ſcandala nutriuntur, ſi inter Parochum, & Parochianos, ut non raro fieri conſueuit, ſuper obligatione, talem numum ſoluendi, & eius quantitate, lites in iudicio agitentur. Vbi non ſatis mirari, & auerſari, queo, tam artes, quibus nonnunquam Clerici, ad poſſeſſionem, uel ius acquirendum, nec non parochiani, ad eludendam Parochi auaritiam, uſi ſunt. Eius generis exemplum refert *B. Beier. in Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. I. def. 118. ſeq.* ubi Parochus querelam ad Conſiſtorium detulerat, quod parochiani ſimplicem numum, einen ſchlechten Pfennig, pro abſolutione offerrent, hoc, ſine dubio, praetextu uſi, quod non praeciſe debeat eſſe, ein Beicht-Groſchen, ſed ſufficiat, ein Beicht-Pfennig. Qualem litem, nonniſi maximo cum ſcandalo, coram Conſiſtoriis, uentilari, nemo cordatus, quod puto, abnuet.

§. XLVII. Quamobrem paſſim, per leges Eccleſiaſticas, ſaluberrime conſtitutum eſt, quod talis numus accipi quidem, ſponte ob-

latus, non autem iure perfecto exigi, & postulari queat. Atque in hunc sensum etiam interpretes accipiunt textum, *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 26. pr.* ubi, pro usu S. Coenae, nihil deberi, praecipitur. Quem in modum eundem textum explicuit Consistorium supremum Dresdense, apud *Mullerum, c. l. Verb.* Wollest unterdessen dem Substituten, bey Verlust seines Dienstes, befehlen, daß er, vor die Beicht und Tauffen, vor denen Leuten, Inhalts des 26sten general Articuls, nichts fordern, auch sonst sich aller Neuerung gäntzlich enthalten solle. Add. *Carpz. in Jprud. Eccl. L. I. def. 120. B. Horn. ad Schilt. L. II. t. 4. §. 17. ad Verb: in Ecclesiis nostris.* Neque inepte huc refertur uulgatum brocardicum, quod extat *L. I. §. 5. ff. d. extraord. cognit.* quod honeste quaedam accipiantur, quae tamen inhoneste petuntur. Vsus tamen, & consuetudo, multorum locorum, etiam hic ius quoddam exigendi, & obligationem perfectam, etiam in Saxonia, quod merito dolendum, introduxit; ut inter iura stolae, quae uocant, numus Confessionarius fere in principiis stare, & principem locum, occupare soleat. Add. de hac materia *Frid. Balduinus, Cas. Consc. L. IV. c. 10. cas. 5. Dedekennus, in Consil. Theol. Vol. I. P. II. Sect. 3. Consil. 37. seq. Jo. Gerhard. in Loc. Theolog. Tom. VI. de Minist. Ecclesiast. §. 329.*

§. XLIIX.

§. XLIIX. Ex dictis facile intelligitur, non uituperium, sed potius laudem, mereri Parochum, qui, cum forte mediis, ad sustentandam familiam, sufficientibus, aliunde instructus sit, numum Confessionarium, usu licet receptum, accipere recusat. Quamuis enim Ordinationes Ecclesiasticae, oblatum accipere, permittant, nemini tamen eundem obtrudunt. Itaque libertate sua hic merito Sacerdos utitur; cui, tale munusculum, uel omnino recusanti, uel, ut a quibusdam factum est, ad pios usus conuertenti, frustra collegae obloquuntur, quasi hoc in praeiudicium ipsorum tenderet. Nam & hic notissima iuris regula locum habere debet, quod quisque iuri & fauori suo renunciare possit. *L. 29. C. d. Pact.* Facit huc exemplum *Pauli*, qui *Cor. IX. 14. seq.* ostendit, quod, utut uictum ex Euangelio quaerere licite potuerit, eo tamen beneficio usus haud sit. Addit, moriturum se potius, qam permissurum, ut sibi laus sua interuertatur. Quamobrem mirari licet, non defuisse inter Collegas Sacerdotes, qui hanc libertatem iniquissimo animo ferrent, atque, ad eam premendam, extrema quaeque tentarent. Qua de re omnino legi merentur, quae habet *B. Spenerus, in Consil. Theol. Germ. Vol. I. in fin. p. 311. seqq.* inprimis,

Sect. 33. *sub rubr.* Von einem Land-Prediger, der kein Beicht-Geld nehmen wolte. & *Sect.* 37. *rubr.* Ob man Beicht-Pfennig nehmen müsse? Qui & *Sect.* 34. de numo Confessionario, hoc iudicium fert, daß er ihn ansehe, als einen ziemlichen Ubelstand der Kirche.

§. XLIX. Idem *Spenerus* in *cit. Consil. Theol. Germ. Vol. I. p.* 639. consilium suum, de abrogando hoc numo, sequentibus uerbis exprimit: Mein unvorgreifflicher Vorschlag wäre, daß eine Ordnung gemacht würde, nach welcher zu halben oder gantzen Jahren, sonderlich beym neuen Jahr, iede Person, so zu dem Tisch des HErrn gehet, etwas gewisses seinem Beicht-Vater, zur Verehrung brächte, oder sendere, so bey den geringern, nach demjenigen, so sie ohne diß des Jahres bey der Beicht zu geben pflegen, einzurichten.

§. L. Illa uero *B. Lutheri* uerba, ad abusus Cleri Romani refero, quando, in der Vorrede des Sermons von zehen Aussätzigen, inquit: Wenn wir fragen, warum denn die so gerne Beicht hören, und die Beicht also preisen? So findet sich die redliche Ursache, der heilige Beicht-Pfennig, der grosse Nothhelffer, wenn der thäte, daß sie nicht des Bauchs fürchteten, er möchte verschmachten, solts du wohl sehen, daß Beichten, weder Noth, noch

Geboth

Geboth wäre. Sed optandum, ut, huiusmodi farinae, carnales Parochi, non etiam inter nostrates, dentur; quorum tamen, uel auaritia, uel miseria, ut lubens fateor, recte animatis, & in opus Dei sincero corde intentis, nullum praeiudicium afferre debet, uel potest.

§. LI. Si quid, in Confessione Sacerdoti reueletur, id reticendum ab eo est; idque Sigillum confessionis dicitur; de quo extat peculiaris *Diss. Adr. Beieri.* Sedes eius est in *c. 2. d. poenit. dist. 6.* ubi, qui secus fecerit, deponi, & omnibus diebus, uitae suae, ignominiosus peregrinando pergere iubetur. Idem cautum in *c. 12.* §. *caueat. X. d. poenit. & remiss.* nisi quod, poenae loco, ibi constitutum sit, talem Sacerdotem non solum ab officio remoueri, uerum etiam, ad agendam perpetuam poenitentiam, in arctum monasterium detrudi debere. Vbi, non sine causa, *B. Ziegler. in Annot. ad Lancel. L. II. t. 5. §. 9.* miratur, id pro poena a Pontificiis haberi, quod tamen partem pietatis faciat; hoc pacto enim, pietatem quoque, in poenam mandari, & iuberi, posse. Imo non desunt exempla, ubi, qui confessiones propalarunt, suspendii, & ignis, poena affecti sunt. Vid. *B. Beier. cit. Diss. Sect. I. c. 4. n. 10. seqq.* Silentium illud etiam in *Ord. Sax.*

Eccl.

Eccl. art. gen. 7. in fin. ſub graui, ſed arbitraria, poena, his uerbis inculcatur: Es ſoll beſonders den Kirchen-Dienern eingebunden werden, was ihnen vor Gewiſſens-Händel in der Beicht vertrauet worden, niemand, wer der auch ſeyn möge, bey Vermeidung ernſtlicher Strafe, zu offenbahren, ſondern, wie ſich gebühret, verſchwiegen zu halten.

§. LII. Hac cautione, Clerus Romanus, opus habebat, poſteaquam auricularis confeſſio introducta eſt; nemo enim quenquam arcanorum ſuorum arbitrum admiſſurus fuerat, quam quem, ad ſilentii fidem, ſanctiſſime obſtrictum, ſciret. Et quamuis apud Proteſtantes, ſingula peccata Parocho enumeranda haud ſint, hoc tamen ſigillum, a coufeſſione priuata, ſeiungi non potuit; quia alias optimus eius fructus, conſolatio nempe, intuitu huius, uel illius, peccati, conſcientiam uellicantis, periret, praeſertim, cum hic non tam, cum Eccleſiae miniſtro, quam ipſo Deo, cuius uice, confitentem peccata, Sacerdos audit, negotium intercedat.

§. LIII. Sigillum hoc, tanta Sanctitate, Pontificii communiunt, ut eius fidem etiam ad peccata & ſcelera futura, atque adhuc perpetranda, cuiuscunque generis ſint, extendant. Imo eo audaciae quidam prouehuntur, ut,

can-

eandem uiolari posse, negent, utut reipublicae salus in discrimen uocaretur. Sic enim, ut *Ziegl. c. l.* ex *Casaubono* refert, praeter ceteros Jesuita, *Henr. Henry*, in *Summa Theolog. Mor. de poenit. L. III. c. 19.* §. *5.* expresse statuit, religiosissime custodiendum esse confessionis sigillum, quamuis ageretur totius orbis salus, eiusque conflagratio, & religionis, omniumque Sacramentorum, euersio immineret. Imo, eodem *Casaubono* auctore, alius, in Galliis, Iesuita, horresco referens, eo furoris processit, ut, impio atque scelesto ore, contenderet, si Dominus noster JEsus Christus in terris uersaretur, morti obnoxius, & aliquis sibi in confessione dixisset, uelle se eum occidere, priusquam confessionem reuelaret, passurum se, ut Christus occidatur.

§. LIV. Reiecta uero hac superstitione, nostrates recte distinguunt, inter peccata praeterita, & futura. Illa, cum impediri amplius non possint, facilius, quam haec, celantur; utrobique tamen excipitur casus, ubi aliud publica salus exigit. Quo pertinet Rescriptum, Proto-Synedrii Dresdensis, in causa famosi praedonis, cui *Lips-Tullian* nomen erat, emissum, quod recitat *B. Beierus, in Addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. III. def. 25.* Itaque res eo redit, ut,

quia

quia factum infectum reddi nequit, Sacerdos, de praeteritis peccatis, suae fidei, in confessione, commissis, sileat, quamdiu non ipse Princeps, propter publicam utilitatem, eorum reuelationem urget. Hinc consequitur, Parochum, si forte ad testimonium ferendum, a iudice citetur, non debere respondere ad articulos, qui facta, sub sigillo confessionis, ipsi reuelata, continent; imo tales articulos ex officio reiiciendos esse. Sola igitur hic utilitas publica excipitur.

§. LV. Singularis constantiae exemplum, hac in re, praebuit *Jo. Nepomucenus*, qui, cum *Wenceslai*, Reg. Bohem. & Imp. Rom. coniugi a confessionibus esset, & is, non salute publica, sed priuatis affectibus, ductus, ab eo scire cuperet, quae peccata ipsi Regina, in confessione, aperuisset, nec tormentis, nec alia ui, ad rumpendam silentii fidem, adduci potuit. Quam cum, nullo modo, *Wenceslaus*, expugnare se posse, intelligeret, eum tandem, de ponte Pragensi, in flumen praecipitari, iussit. Vid. *Hagecius*, in *Chron. Bohem. p. 633.* Qui, post diuturnum, uitae & miraculorum, examen, ante paucos annos, a Pontifice Rom. inter sanctos relatus est, ante hac iam, a Bohemis, religiose cultus.

§. LVI.

§. LVI. Futura peccata quod attinet, uel is, qui confitetur, admonitus a Sacerdote, promittit, quod, mutato animi consilio, delictum, sibi propositum, perpetrare nolit, uel promittere recusat. Hoc casu nec absolui potest, cum uera poenitentia desit, & is uelut extra statum confessionis, & absolutionis, constitutus sit, & sic puto, reuelata manifestari posse. *B. Horn. in Annot. ad Schilt. L. II. t. 4. §. 19.* Priori autem casu Sacerdos, post grauem, de omittendo peccato, admonitionem, eos, quorum interest, suppresso tamen confitentis nomine, monere debet, ut sibi caueant, & periculum a se auertant. Plane, si Principis, aut Reipublicae, salus id requirat, ne quidem nomen occultandum est. Vnde pessime a Iesuita factum, qui consilium, de occidendo *Henrico IV.* Gall. Rege, a *Rauaillaco* sibi, in confessione expositum, reticuit, neque adeo illius caedem impediuit.

§. LVII. Nihil uero interest, utrum Parocho delictum, in ipso confessionis actu, an extra eum, sub sigillo confessionis, reuelatum sit; utroque casu, ad seruandam silentii fidem, tenetur. Vnde merito reiicitur distinctio, inter Beichten, & Vertrauen, ad quam saepe, imperiti Sacerdotes, reuelata propalantes, confugere solent. *Schilt.*

Inst.

Inst. Iur. Can. L. II. t. 4. §. 19. in fin. Stryk. ad Brunnem. Ius Eccl. L. II. c. 19. §. 22.

§. LVIII. Memorandum exemplum, uiolati confeſſionis ſigilli, meo tempore, Facultati noſtrae oblatum fuit; ubi parochianus, qui imperiales aliquot, ex arca eleemoſynarum, außm Gottes⸗Kaſten, furatus erat; id poſtea acerrimis conſcientiae ſtimulis adactus, confeſſionario ſuo, oblata ſimul reſtitutione, manifeſtarat; qui, ex imprudentia, aliis copiam ſecreti fecit, & ſic, inquiſitioni magiſtratus, occaſionem dedit. Vbi, cum reus delictum fateretur, confesſionarii culpa, in diſcrimen uocatus, loco ultimi ſupplicii, ſolam relegationis poenam, ſufficere, iudicarunt Scabini Lipſienſes. Quem caſum, cum omnibus circumſtantiis, refert *B. Horn. in Reſp. Claſſ. 15. reſp. 9. & ſub. fin. Claſſ. 15.* commemorat, poenam illam, Principis gratia, in mulctam 30. uncialium mutatam fuiſſe; poſteaquam is, propter aliud delictum, cuius itidem reus erat, iusiurandum purgatorium praeſtiterat.

§. LIX. Sed quaeritur: An, & actione iniuriarum, conueniri poſſit Sacerdos, qui delictum, ſub confeſſionis ſigillo, fidei ſuae commiſſum, reuelat? Mouet hanc quaeſtionem *D. Simon, in Praeſidio Acad. P. II. Diſſ. 2. de Act. iniur. ſacerdot. concernent. membr. II. th. 7.*

th. 7. eandemque affirmat, *arg. l. 1. §. 38. ff. depos.* Ex quo textu hoc argumentum depromit: Si iniuriarum conueniri poteſt is, qui hoc animo teſtamentum, fidei ſuae concreditum, quibusdam praeſentibus, recitauit, ut iudicia ſecreta eius, qui teſtatus eſt, diuulgarentur, multo magis ille Sacerdos iniuriarum tenebitur, qui confeſſionem, ſibi, tanquam Dei Miniſtro, concreditam, aperuit. Atqui uerum eſt prius, ergo & poſterius. Add. *Vngepauer. ad tit. X. de Confeſſ. n. 25.* Sed, cum ad iniuriam uel maxime requiratur dolus, ſeu animus iniuriandi, tali caſu eueniente, ſedulo ac diligenter ſpectari debet intentio Sacerdotis, qua ſecreta, ſibi commiſſa, reuelauit. Vnde non immerito haec res iudicis eccleſiaſtici arbitrio relinquitur; ut recte iudicat *B. Beier. in Addit. ad Carpz. L. III. def. 99. in fin.*

§. LX. Sed nec is, qui abſolutionem impetrauit, quicquam propalare debet eorum, quae cum ipſo, in confeſſione, acta ſunt. Quod itidem expreſſe prohibet *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 7. in fin. ibi:* Oder die verhörte Perſonen aus der Beichte geſchwatzet. Add. *B. Beier. c. l. L. III. def. 25. in fin.*

§. LXI. Cum ius abſoluendi, ad poteſtatem ordinis, pertineat, conſequitur, nullum peccatum exceptum eſſe, eodemque

 omnes

omnes Sacerdotes, in quocunque dignitatis gradu collocati sint, gaudere. Aliter Pontificii sentiunt, qui hoc ius, ad modum iurisdictionis, & potestatis Ciuilis, metiuntur. Sicut igitur iudex inferior non de omnibus caussis cognoscere ualet; sed, quae grauioris momenti sunt, superiorem iudicem exposcunt, ita negant illi, omnium, sine discrimine, peccatorum ueniam, ab infimae classis Sacerdotibus, impetrari posse; sed, a quibusdam, absoluendi ius, penes solos Episcopos, residere; quaedam etiam, a solo Papa, remitti, contendunt. Quos casus, reseruatos, Canonistae appellant. Vid. *Clement. I. §. quibus. d. priuileg. Lancell. Inst. Iur. Can. L. II. t. 5. §. 10.* ubi haec exempla adducit, si poenitens Clericum enormiter laeserit, Ecclesiam combusserit, uel fregerit, falsum commiserit, Cardinalem, uel Episcopum, insecutus fuerit, aut cum moniali rem habuerit. Quamuis autem, de casibus reseruatis, multa tradi soleant, nemo tamen occurrit, qui eos distincte exponat, &, ex certo fundamento, demonstret? adeoque reseruatio, intuitu cleri inferioris, ab Episcoporum placito, intuitu Episcoporum autem, a Pontificum arbitrio, dependere uidetur. Add. *Thomas. in annot. ad Lancell. c. l. n. 167. in fin. Chemnit. in Exam. Concil. Trid. P. II. p. 363. sq.*

§. LXII.

§. LXII. Sigillatim tamen casus, & Pontifici, & Episcopis, reseruatos, recenset *Claud. Fleury. Inst. Iur. Can. P. II. c. 4. §. 2.* non tamen aliam, quam Ritualis Parisiensis, auctoritatem secutus. Iuxta huius igitur ductum, casus Papae reseruati, sunt: 1) Incendium Ecclesiarum, & locorum non sacrorum, si incendiarius publice denunciatus est. 2) Simonia ordinum, & beneficiorum, publica, & realis. 3) Occisio, seu mutilatio hominis, in sacris. 4) Verbera Episcopo, uel alii Praelato, inflicta. 5) Arma infidelibus suppeditata. 6) Adulteratio bullarum, & breuium Pontificis. 7) Inuasio, & depraedatio, terrarum Ecclesiae Romanae. 8) Violatio interdicti, a sede Apostolica profecti.

§. LXIII. Casus autem, Episcopo reseruati, sunt: 1) Verbera atrocia, homini religioso, aut Clerico, qui in sacris est, illata, 2) Incendium uoluntarium, 3) Furtum, in loco sacro, cum effractione, commissum, 4) Homicidium uoluntarium, 5) Duellum, 6) Insidiae, uitae coniugis structae, 7) Abactio partus, 8) Verbera, patri, uel matri, inflicta, 9) Sortilegium, & ueneficium, seu diuinatio, 10) Profanatio Eucharistiae, & S. olei, 11) Violenta sanguinis, in templo, effusio, 12) Fornicatio in Ecclesia, 13) Stuprum,

 reli-

religiosae illatum, 14) Stuprum, a Confessionario illatum, 15) Raptus, 16) Incestus, in secundo gradu, 17) Sodomia, aliaque similia peccata, 18) Latrocinium, aut sacrilegium, 19) Crimen falsi, 20) Simonia personata, & occulta, 21) Assumptio falsi tituli, & nominis, in examine, recipiendorum ordinum causa. Add. *Jo. Georg. Kühne, in pecul. Tr. de Casibus, Pontifici, Episcopis, & Praelatis, reseruatis.*

§. LXIV. Illud etiam haud praetermittendum, quod, ex Decreto Concilii Lateranensis, in *C. 12. X. d. poenit. & remiss.* Medicis, sub graui comminatione incumbat, ut aegrotis non prius succurrant, quam constet, Sacerdotem, animabus eorum, spirituali medicina, consuluisse; secus si fecerint, ab Ecclesiae ingressu tamdiu arceri iubentur, donec eidem, pro hac transgressione, satisfecerint. Mirum est, quod de domesticis aegrotantium, canones sileant, & solis Medicis, tam rigidam obligationem, impingant. Sed arcanum, quod, sub has Juris Canonici dispositione, latet, detexit *Ill. Thomasius, in Annot. ad Lancell. L. II. t. 5. §. 13. n. 183.* Quod nempe, si omnium aegrotantium domesticis haec cura incumberet, Clerici etiam, illos omnes, inuisere tenerentur; Atqui hos aeque, ac Medicos corporum, non tam

tam de pauperibus aegrotis, quam locupletibus, ſolicitos eſſe, ut iam olim, in medio papatu, in prouerbium abierit: Quod pauperes moriantur, ſine crux, & lux. Hoc enim fine, inprimis illas decumbentium uiſitationes, a Pontificibus, iniunctas fuiſſe, ut Clerici occaſionem nanciſcerentur, moribundos, purgatorii metu, terrendi, ut, ſi non omnia bona, ſaltem eximiam eorum partem, ad pias, quas uocant, cauſas, ſub quibus illi in principiis fere ſtare ſoleant, legarent. Cum, ex aduerſo, laterem lauare, uideantur, qui, emungendis pauperum crumenis, operam impendunt.

§. LXV. Ad ultimum tenendum eſt, quod nequaquam recipienda ſit eorum ſententia, qui contendunt, remiſſionem peccatorum, quae, a Miniſtro Verbi Diuini, proficiſcitur, nudam & ſimplicem declarationem eſſe, ueniae, iam antea a Deo impetratae; Sed utique ſtatuendum, eam efficacem eſſe, ad confirmationem remiſſionis peccatorum, a Deo factae, eadem cum uirtute, ac ſi coram Chriſtus poenitenti diceret, quod Paralytico dixit: Confide, remiſſa tibi ſunt peccata. Vid. *Baierus, in Theolog. Poſit. P. III. c. 14. §. 10. lit. f. & Hulſeman. in Breuiar. c. 9. n. 11.*

CAPVT VII.

DE OFFICIO PASTORIS, CIRCA ADMINISTRATIONEM COENAE DOMINICAE.

§. I.

Confeſſionem, & abſolutionem priuatam, excipit uſus Coenae Dominicae. Quae eſt Actio diuinitus inſtituta, in qua Dominus noſter JEſus Chriſtus ipſe praeſens eſt, nobisque cum pane & uino, uerum ſuum corpus & ſanguinem, exhibet, in certisſimam obſignationem, quod remiſſionem peccatorum habeamus, & cum ipſo, in aeternum, uiuere debeamus. Vid. *Conr. Dietericus, in Inſt. Catech. art. de Coena Dom. q. 7.*

§. II. Eſt hoc Sacramentum confirmationis; adeoque nonniſi illis confertur, qui iam antea Baptiſmo initiati ſunt. Succesſit in locum Agni paſchalis; ſicut Baptiſmus, in locum Circumciſionis.

§. III. Vocatur Coena. Quia ea nocte, qua Chriſtus traditus eſt, ab eodem, finita Coena uulgari, inſtituta legitur. Dominica uero dicitur, ab Inſtitutore, Domino noſtro Jeſu Chriſto, nec non a bonis Domini, quae

in

in ea distribuuntur. *Koenig. in Theolog. Posit. art. de Sacram. Coen.* §. *82.*

§. IV. Audit alias Nouum Testamentum, *Luc. XXII. 20.* Mensa Domini, *1. Cor. X. 21.* Communicatio Corporis, & Sanguinis, Christi, *1. Cor. X. 16.* Eucharistia, *Marc. XIV. 23. Luc. XXII. 29.* Sacra Synaxis, ob conuentus sacros, ubi celebrari solet, *1. Cor. XI. 20.* Sacramentum Altaris, quia super hoc, in Ecclesia, antiquitus, administrari consueuit, item, Missa, uel a ritu rerum missarum, seu donariorum, uel a formula dimissionis. Vid. *Baier. in Theol. Posit. P. III. c. 1.* §. *1. not. b.* Add. *August. Conf. p. 23. Apolog. p. 250. seq. Artic. Schmalkald. p. 305.* Sedes huius Sacramenti habetur, *Matth. XXVI. 26. seqq. Marc. XIV. 22. seqq. Luc. XXII. 19. seqq. 1. Cor. XI. 23. seqq.*

§. V. Causa efficiens principalis, est Dominus noster JEsus Christus, *θεάνθρωπος*, & Filius Dei, *ἔνσαρκος*, qui Sacramentum hoc *αὐτοπροσώπως* instituit. Quia uero is auctoritatem, & potestatem, itemque omnipotentiam, qua, in efficiendo hoc Sacramento, usus est, cum Patre & Spiritu S. communem habet, ideo etiam, Deum trinunum, eius caussam efficientem principalem esse, recte dicitur. *Baier. in Theol. Posit. c. l. lit. d.*

§. VI. Ius administrandi S. Coenam, competit proprie Ecclesiae, quae illud regulariter

riter, per Ministros Verbi Diuini, exercet; in casu uero necessitatis, reuiuiscit ius singulorum, ut etiam laicus, eam administrare, queat. Quam limitationem, cum aliqui reiiciant, & negent, eius fundamenta paucis indicanda sunt.

§. VII. Neque uero diu laborandum. Cum otium hic nobis fecerit, *B. Lutherus*, in Tr. Wie man Diener der Kirchen wehlen, und einsetzen soll / qui extat in *Tom. II. Altenb. p. 494. seqq.* ubi sigillatim *p. 504. b.* ad hanc thesin probandam, prouocat ad uerba Christi: *Hoc facite in mei commemorationem;* quae utique, omnibus & singulis Christianis, dicta sint. Deinde testem adducit, *Paulum*, *1. Cor. XI. 23.* ubi ait: Ich habe es von dem HErrn empfangen, das ich euch gegeben habe. Hic enim, omnes Corinthios constitui, a Paulo, Sacerdotes, qui panem, & uinum, consecrare queant. Tertio Megalander Lutherus, arguit a potestate baptizandi, singulis Christianis competente, uelut a maiori ad minus. Verba eius haec sunt: Lieber, ich bitte dich, sage mir, was ist doch diese Gewalt, zu seegnen Brod und Wein gegen die Gewalt, zu tauffen, und GOttes Wort zu verkündigen, ein Weib tauffet 2c. & paucis interiectis: Darum, ob schon kein Zeuguiß der Schrifft verhanden wäre, so ist doch das wahr und

und gewiß, so das grössieste allen verliehen wird, das ist, das Wort und die Tauffe, so kan auch rechtlich nicht versaget werden, das geringste, das ist, das Sacrament zu seegnen, adductis simul uerbis Christi: Das Leben ist mehr, dann die Speise. In sequentibus etiam, ubi agit de potestate clauium, reiicit distinctionem, inter ius, & usum, zwischen der Gewalt, und Gebrauch, quasi illud quidem penes Ecclesiam, hic uero, penes solos Clericos, sit, ostenditque, & ius, & usum omnibus Christianis competere.

§. VIII. Sententiam hanc confirmat Praxis Ecclesiae primitiuae, ubi singuli patresfamilias, qua tales, non qua Sacerdotes; Coenas has, in aedibus suis, direxerunt; ut prolixe ostendit *Boehmer. Diss. IV. Jur. Eccles. antiqu.* §. *22. seqq.* & durantibus persecutionibus, Christianos singulos, sibi communicasse, testis est *Basilius*, idemque non diffitetur *Schilter. Inst. Iur. Can. L. II. t. 3.* §. *2.* Vt hinc mirer, excidere potuisse, *B. Zieglero, in Annot. ad Lancell. L. II. t. 6.* §. *3.* quod laici, exemplis orthodoxae antiquitatis, destituantur. Specialia exempla collegit, *H. Grotius, in Diss. de Coenae administratione, ubi Pastores non sunt.*

§. IX. Quamobrem, originarie quidem, omnibus Christianis fas est, haec sacra cele-

brare; ſed, quoniam Eccleſia eſt corpus, quod uel maxime bonus ordo, cuius Deus auctor eſt, decet, hinc adminiſtratio S. Eucharistiae iis ſolis relinquitur, quibus cura & directio, actuum ſacrorum, ab Eccleſia, per legitimam uocationem, demandata eſt. Ubi tamen ſemper, ſicuti in aliis negotiis, caſus neceſſitatis, exceptus eſſe intelligitur; quo exiſtente, in ſingulis membris poteſtas, S. Coenam adminiſtrandi, ueluti reuiuiſcit, & pari cum efficacia in actum deducitur, atque ſi, miniſter ordinatus, id munus obiret.

§. X. Haec, ut uidimus, *B. Lutheri* ſententia eſt, orthodoxae antiquitati probata. Eandem, praeter ceteros, defenderunt, *D. Heshuſius*, & *D. Jo. Galli*, in *Conſil.* quae *D. Bidembachius Conſiliis ſuis, Dec. III. Conſ. 5.* inſeruit & approbauit. Neque aliam, *B. D. Danbaueri*, mentem fuiſſe, teſtatur *B. Spenerus*, *in Conſil. Theol. Germ. P. II. p. 53. & P. I. in append. p. 177.* ubi, ex ore ipſius, id ſaepius ſe accepiſſe, confirmat. Imo eadem opinio etiam fuit *B. Hunnii*, ut uidere licet, in *Epit. Cred. c. 25. §. 625.* ubi laicum NB. non facile admittendum eſſe, ſcribit; & ſic neceſſitatis caſum manifeſte excipit.

§. XI. Idem ſenſit *Tertullianus*, *de exhortat. caſtit. c. 7. p. 522.* Quem locum diſſentientes

entes uarie torserunt, idemque prolixae controuersiae occasionem dedit. Cuius litis haec breuiter historia est. Nempe *cit. locum*, pro iure laicorum sacerdotali, in casu necessitatis, allegauerat *Nic. Rigaltius*, Pontificius quidem, sed in multis Protestantium principia secutus, A. 1628. male propterea exceptus, *a Gabr. Albaspinaeo*, Episcopo Aurelianensi. Quo minus autem lis, a Pontifice Rom. ad quem delata fuerat, componeretur, mors repentina *Albaspinaei* effecit. Postea factum, ut *H. Grotius Rigaltii* opinionem, in *cit. Diss.* defenderet, A. 1638. Cui se opposuit, *Dionysius Patauius*, Jesuita, qui uerba *Tertulliani*, non de conseeratione, sed sola distributione, citra ullam ueritatis speciem, explicuit. Sed, pro *Rigaltii*, & *Grotii*, opinione rursus propugnauit, *Walo Messalinus*, sub cuius nominis larua, *Claud. Salmasius* latet, in *Diss. I. de Episcop. & Presbyt.* Alia & noua ratione, laudatum Tertulliani locum, interpretatus est *Henr. Dotwellus*, *Diss. de Jure laicor. sacerdot. c. 3. §. 21. seqq. p. 243. seq.* ubi eos tantum laicos, a Tertulliano, intelligi, contendit, qui spiritu prophetico animati sint, solide confutatus a *Boehmero*, *in Diss. Jur. Eccl. antiq. Diss. IV. §. 4. p. 277. seq.* Add. *D. Pfaffius*, *Cancell.*

Cancell. Tubing. in Tr. vom Ursprung des Kirchen-Rechts, *c. 3. p. 175. seq.*

§. XII. Et quid plura? Ipsi, religionis nostrae, libri Symbolici, eandem sententiam, aperte insinuant. Namque in *Tr. de potestate Papae*, articulis Schmalkaldicis adiecto, *p. 353. edit. Recbenberg.* expressa haec uerba habentur: *In casu necessitatis, absoluit etiam laicus, & fit Minister, ac Pastor alterius.* Alterum enim, ex altero, necessario consequitur; ut laicus, qui loco ministri, & Pastoris, alterum confitentem, a peccatis, absoluere potest, eundem etiam, sacro epulo, conficere possit. Adiicitur, *c. l.* ex Augustino, historia de duobus Christianis, in naui; quorum alter baptizauerat alterum, & is deinde, baptizatus, priorem a peccatis absoluerat.

§. XIII. Ratio autem genuina, cur Pontificii, ab his sacris, laicos omnino arceant, & ne quidem casum necessitatis excipiant, sine dubio arcessenda est, ex hypothesi ipsis propria; quod nempe transsubstantiationem credunt, & Sacrificium, proprie dictum, in S. Coena peragi, falso contendunt; inde enim personam Sacerdotis necessario, & praecise, requirunt. Hinc Concilium generale, sub Innocentio III. habitum, in *c. 3. X. d. Trinit.* ita decreuit: *Hoc sacramentum*

nemo

nemo conficere potest, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus. Quare, ne quidem Diaconos, quia non sint Sacerdotes consecrati, in huius actus consortium admittunt. Add. *C. 29. d. Consecr. dist. 2.* Cui principio, cum nostrates repudium, ut par erat, miserint, etiam laicos, in casu necessitatis, nequaquam excludere debent.

§. XIV. Obiiciunt Pontificii, 1) quod Christus administrationem Coenae, solis Apostolis, demandauerit, per uerba: Solches thut zu meinem Gedächtniß. Sed tantum abest, ut id, quod uolunt, ex uerbis institutionis, exsculpi queat, ut contrarium potius inde *B. Lutherus, loco supr. cit.* euicerit. Audiamus ipsa eius uerba, quae extant *Tom. II. Altenb. p. 504. b.* Denn es wollen auch die Papisten selbst/ daß durch die Wort CHristus habe Priester gemacht, und die Gewalt zu seegnen verliehen: Nun hat er diesen Spruch zu allen den Seinen gesaget, die dazumahl waren gegenwärtig, von diesem Brodt und Wein assen, und truncken, auch zu allen denen, die hernach künfftig von diesem Brodt und Wein essen und trincken würden: Aus dem folgt, was daselbst verliehen worden, das ist ihnen allen verliehen worden. Contrariam hypothesin, insaniam appel-

appellat, his uerbis usus: Doch lassen wir fahren ihre Unsinnigkeit, und sagen, daß diß Amt auch allen Christen gemein ist, gleichwie das Priesterthum. Et sane, sole meridiano clarius est, uerba: *hoc facite in mei commemorationem,* omnibus illis dicta esse, qui manducare & bibere iussi sunt; Atqui hoc, non solis Apostolis, sed, in eorum persona, omnibus Christianis, iniunctum.

§. XV. Obiiciunt 2) diuersitatis rationem, inter Baptismum, & S. Coenam; quod in hac tanta necessitas non occurrat, quanta sit in Baptismo, seu initiationis Sacramento; cum adulti iam in fide sint, & sic ipsis manducatio spiritualis sufficere debeat. Inde uero nequaquam conficitur, quod dissentientes uolunt. Gradus enim necessitatis maior, uel minor, diuersum ius, in eodem subiecto, producere nequit; sed hoc tantum inde sequitur, quod casus necessitatis, non tam frequenter, circa S. Coenam, quam circa Baptismum, eueniat; quod nemo negat. Sufficit, quod Christus, non magis consecrandi, quam baptizandi, potestatem, eiusque efficaciam, ad certas personas, uel certum ordinem, absolute alligauerit, & sic, aliorum Christianorum opera, urgente necessitate, adhibita, inefficax haud sit.

§. XVI.

§. XVI. Sed quales necessitatis casus hic emergere queant, dubitari solet. Vulgo enim, tales dari non posse, contendunt; cum, deficiente Ministri ordinati copia, cuiuis sufficere debeat Augustini regula: Crede, & manducasti; quae reperitur in *c. 47. d. consecr. dist. 2.* At enim uero, cum Sacramentum hoc, ad confirmandam fidem, & obsignandam remissionem peccatorum, conducat, quam facile, quaeso, euenire potest, ut quis, in tentationum angustiis constitutus, sacrum hoc epulum, Sacerdote licet destitutus, anhelet, nec ullis argumentis, pro tranquillenda conscientia, adductis, moueatur? an huiusmodi fratrem, potius desperationis periculo exponi, quam laicum, ad Sacramentum hoc celebrandum, admitti debere, censebimus? Absit hoc a nobis longissime; aliud, & Spiritus S. uerba, & Christiana caritas, & praesumtum Ecclesiae mandatum, suadent.

§. XVII. Fac praeterea, laicos aliquot, ui tempestatis, aut alio casu, in locum, ubi Parochus haberi non potest, reiectos esse, annon his integrum erit, unum, ex medio ipsorum, eligere, qui, reliquos confitentes, a peccatis, absoluat, & ipsis S. Eucharistiam dispenset? Admittunt hoc multi, sed addunt, talem, non ut laicum, sed ut Clericum, consi-

considerandum esse. Vid. *L. B. de Lyncker, in Disp. de eo, quod iustum est circa S. Coenam, c. 2. §. 2. in fin.* Sed, ut alias in uerbis faciles esse oportet, ita etiam hic nihil refert, utrum laicum, intuitu huius actus, clericum appellemus, nec ne. Satis est, quod, in tali necessitatis casu, S. Coenam ualide administret, & sic laicus etiam, Minister, & Pastor, alterius fiat, ut ipsi *Libri Symbolici, loco supr. cit.* loquuntur.

§. XVIII. Agnoscit talem necessitatis casum, praeter ceteros, *D. Spener. in Cons. Theol. germ. P. I. in app. Sect. 7. p. 176.* ubi ita loquitur: Gleichwohl ists möglich, daß ein Nothfall sich begeben könne, 1) an einem Ort, wo allerdings kein rechtgläubiges *Ministerium* ist, 2) bey einer angefochtenen Person, welche sich, *in statu tentationis*, mit der geistlichen Niessung nicht genungsam trösten mag. Tali igitur casu, non minus legitimam, atque diuinam, uocationem, ab Ecclesia, laici habere, intelliguntur, quam ordinarie & regulariter Sacerdotes habent. Agnoscit hoc idem *Spener. l. c. p. 176. n. 5. in fin.* his uerbis: Welcher Beruf bey den ordentlichen Predigern ordentlich ist, bey andern Christen aber, in den Nothfällen, ausserordentlich. Vnde enim ius suum clericus immediate habet, nisi ab Ecclesia,

cu

cui illud a Deo concessum, ab eadem ergo, ex praesumto mandato, & laicus illud, tempore necessitatis, habet atque exercet. Vtriusque potestas, ab ecclesia, eiusque uoluntate, immediate proficiscitur. Clerico regulariter, & ordinarie, demandata, laico, in casu necessitatis, extra ordinem, relicta est. Vnde recte idem *Spener. c. l. Sect. 8.* ait, daß in dergleichen Fall, die Ordnung, der Liebe, billig weichen solle. Idem sentit *Chemnit.* in *Ex. Concil. Trid. P. II. L. I. de Sacrament. in genere. Sect. 9. c. 10. p. 306. b. in fin. seqq.* ubi simul *Hieronymi* & *Augustini* testimonia citat.

§. XIX. Denique, cum defectus expressae, & scripto comprehensae, uocationis, ab Ecclesia profectae, contra laicos, tantopere urgeri soleat, aliis cogitandum relinquo, annon expediat, ad hoc dubium omnino tollendum, ut Ecclesia expresse declaret, idemque Ordinationibus Ecclesiastis, disertis uerbis, sicut de Baptismo, inseratur, quod, ubi copia, ordinarii ministri, plane deficit, nomine Ecclesiae, etiam laicus, munere, S. Coenam dispensandi, fungi debeat. Ita enim non uideo, quid amplius ipsi obiici queat; cum is tunc ad uocationem suam aeque, ac ali-

us Ecclesiae minister, prouocare, eandemque, publico sigillo munitam, ostendere possit. Quod consilium, a nemine adhuc suppeditatum fuisse, miror.

§. XX. Quondam Sacerdotes, S. Eucharistiam celebrantes, se ipsos communicare tenebantur; idemque mos, uelut ex traditione Apostolica descendens, retineri iussus est a Patribus Tridentinis, & simul anathematis fulmine percussus, qui dixerit, non licere Sacerdoti celebranti, se ipsum communicare. Quamuis uero, iudice *Chemnitio, in Ex. Concil. Trid. c. l. p. 408. b. §. 4.* non pugnet, contra ipsam substantiam, institutionis Coenae Dominicae, si minister, qui alios communicat, ipse etiam, de pane illo, edat, & de poculo illo bibat; praesertim, cum ueteris Ecclesiae exempla suffragentur; nulla tamen hic necessitas, multoque minus institutum aliquod Apostolicum, ostendi potest. Vnde nec regulariter, in Ecclesiis nostris, hoc permittitur, sed, uel collegae, uel uicini Pastoris, opera utendum; in casu autem necessitatis, ubi uel alius ministri copia deest, uel subitaneo morbo correptus, uicinum quis expectare nequit, id licitum esse, defendunt *Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 293. L. B. de Lyncker, Diss. cit. c. 2. §. 3. Brunnem. in Iur. Eccl. L. I. c. 6. m. 4. §. 12.* ibi-

ibique *Stryk. in annot.* & pro hac ſententia *Gerhardum*, *Dedekennum*, *Balduinum*, aliosque adducunt. Qua hypotheſi admiſſa, idem, propter fundamenta ſuperius allata, de laico, tempore neceſſitatis, dicendum foret. Locum obſtantem in *Art. Schmalkald. art. 2.* ubi *B. Lutherus* ait, quod, ſe ipſum communicare, humana perſuaſio ſit, incerta, & non neceſſaria, imo prohibita, *Carpz. c. l. cum Gerhardo, de miſſis priuatis pontificiis, quae aliis prodeſſe finguntur*, explicat. Puto tamen, cum *B. Hornio, in annot. ad Schilt. J. Can. c. de S. Eucharistia*, §. 3. ſuadendum eſſe clerico, multoque magis laico, ut, ſcandali uitandi cauſa, & inprimis, propter infirmiores, ne quidem in caſu neceſſitatis, ſe ipſum communicet.

§. XXI. Quod, de qualitate miniſtri adminiſtrantis, circa Baptiſmum, monui, idem & hic repetendum uenit. Nempe, nihil intereſt, probus, an improbus, & inquinatae uitae, ſit; cum integritas, & efficacia, Sacramenti, non ab ipſo, ſed inſtitutione, & auctoritate Diuina pendeat. Vid. *c. 89. cauſ. 1. qu. 1.* Modo id agat, ut ſacrum hoc pabulum ſerio diſpenſet. Quod ſi enim miniſter Eccleſiae, intentionem, actum ludicrum ſolum, & iocoſum, exercendi, prodat, uerum Sacramentum haud eſt, & talis profa-

nus actus, qui parum, uel nihil, a blasphemia abest, grauissima poena coërceri, meretur. Vid. *Carpz. in Pr. Crim. P. I. quaest. 45. n. 96. seqq.*

§. XXII. A Sacerdote, qui haeresi, aut diuersae, a nobis, religioni addictus est, S. Eucharistia temere accipi non debet. Vsus enim Sacramenti huius, habetur pro signo consensus, in doctrina, quam profitetur, qui illud dispensat. Accedit scandalum, apud infirmiores metuendum; quod omni modo a Christianis praecaueri, par est.

§. XXIII. Regulariter etiam proprius Parochus esse debet, qui hoc Sacramentum dispensat. Quae conclusio, ex distinctione Parochiarum, sponte sua fluit. Hactenus igitur, quisque Pastor, iure uelut prohibendi, gaudet, quo minus Parochiani sui, ipso inscio, neque consentiente, alibi S. Coena utantur. Excipitur tamen casus necessitatis, & ubi alias iusta causa subest, u. g. si quis, in itinere constitutus sit, aut in aliena Parochia, morbo correptus, decumbat, aut Consistorii decreto, & consensu, alienum Confessionarium elegerit. Vno uerbo dici potest, quod, quoties, ab alieno Parocho, absolui, fas est, toties etiam S. Eucharistiam ab eodem accipere liceat.

§. XXIV. Proximum est, ut conuiuas S. huius epuli consideremus. Primum eorum

rum requisitum est, quod prius, quam ad mensam Domini appropinquent, confessi esse debeant, ministro Ecclesiae, peccata, & ab his, per eundem, absoluti. Id uero, ut *cap. praeced.* uidimus, non iuris Diuini, sed humani Ecclesiastici est, & necessitatem, introductae confessionis priuatae, supponit. Sic in *Ord. Eccl. Sax. art. gen.* 7. §. *1. in fin. cautum*, Daß man niemand zum Hochwürdigen *Sacrament* des Leibes und Blutes des HErrn CHristi zulassen soll, er habe dann zuvor sich bey seinem ordentlichen *Pastoren* angezeiget, und die *priuat Absolution* gesuchet. Excipitur tamen & hic casus necessitatis; puta, si uis morbi obstet, & periculum in mora sit.

§. XXV. Quid uero, si quis, impetrata forte, die Sabbathi, absolutione priuata, sequenti die Dominica, ad mensam Domini accedere negligat, aut ex causa friuola intermittat, an huic publica deprecatio imponenda? Negat *B. Beierus*, *in addit. ad Carpz. L. II. def. 277.* adiecto Responso Proto-Synedrii Dresdensis, quod in hac praecipue ratione innititur, quod hoc non sit publicum, & uniuerso coetui scandalosum, peccatum.

§. XXVI. Alterum, idemque praecipuum requisitum, est poenitentia, & serium,

de uita emendanda, propositum. Hic inprimis, hodierna corruptio Christianorum, & quantum, a ueteri disciplina, desciuerint, cerni potest. Primi Christiani, ut *cap. praeced.* monui, neminem, in societate Ecclesiastica, ferebant, nedum ad S. Communionem admittebant, quem subinde, post eius usum, ad uomitum redire, neque peccandi consuetudinem exuere uelle, obseruarent. Sed hodie, proh dolor! fere usus S. Coenae, uelut opus operatum, spectatur, & pauci mutationem cordis, per opera caritatis, & sui abnegationem, ostendunt. Plerique uix, per unum alterumue diem, post S. pabulum acceptum, se Curios simulant, postea uero rursus strenue, ad uitam priorem, redeunt, & bacchanalia uiuunt. Vt graues causas habuerit paganus ille, qui, referente *Mengeringio, in Scrut. de Coena Dom. quaest. 2.* in forum progressus, publice exclamauerat: Vidi Christianos, omnium hominum, maxime inhospitales, apud quos ne Deus quidem biduo commorari potest.

§. XXVII. Ceterum, quae de exclusione a confessione, & absolutione priuata, superius dicta sunt, hoc etiam loco inculcanda ueniunt, quod nempe eadem singulorum Pastorum iudicio relinquenda haud sit, sed a Con-

a Consistorio, causa prius cognita, & quidem rarissime, decerni debeat.

§. XXVIII. His ita constitutis, facile iudicium ferri potest de quaestione: Utrum Princeps a S. Coena arceri, & sic, saltem minori excommunicatione, ligari possit? quam alii affirmant; Vid. *Ziegler. Tr. de Episcop. L. III. c. 2. §. 72.* alii negant; sigillatim *Thomasius, JCtus Halensis.* Vid. *Eius Juristische Händel, P. IV. cas. 2.* Neque enim apparet, quomodo talis exclusio locum habere, & exitum sortiri possit; cum Princeps, neque Consistorio suo, neque Concionatori aulico, subiectus sit, sed in utrumque ius summum, circa sacra, ipse, ui Maiestatis, uel Superioritatis Territorialis, exerceat. Vid. *Boehmer. in Jur. Eccl. Protest. Vol. III. p. 764. seq.*

§. XXIX. Minus difficultatis relinquit hypothesis *D. Pfaffii, Cancell. Tubing. in Tr.* Vom Ursprung des Kirchen-Rechts, *c. 4. p. 356. seqq.* ubi, cum refutasset argumenta *Titii, JCti Lipsiens. in Jur. priu. Rom. Germ. L. IX. c. 14.* aduersus Parochos, qui impoenitentes, a S. Coena, excludunt, allata, subiicit, Eucharistiam, intuitu eorum quidem, qui in statu gratiae sunt, confirmationis Sacramentum esse, ceteros uero, qui sunt in statu irae, nec dum conuersi, ad

 poeni-

poenitentiam ducere, & praeparare. Idem inculcat *p. 343.* Alloquitur deinceps, & consolatur Parochos, se anxie torquentes, atque ita coucludit: So heget von dem H. Abendmahl diese Meynung, daß dasselbige denenjenigen, so schon im Stande der Gnade sich befinden, ein *Sacrament* der Bestätigung, denen andern aber, so diese Gnade noch nicht erlanget, ein Vorbereitungs-*Sacrament* zur Buße sey.

§. XXX. Pro hac sententia sua firmanda, *D. Pfaffius*, inprimis prouocat ad uniuersalitatem meriti Christi, & quod Sacramentum hoc *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*, in remissionem peccatorum, quae uelut terminum ad quem constituat, a Christo ordinatum sit. Ita enim inquit, *p. 363. in fin. seq.* Daß übrigens das H. Abendmahl ein Vorbereitungs-*Sacrament* bey denen Unbekehrten sey, erhellet 1) Weil in demselben der vor alle dahingegebene Leib CHristi, und das vor alle dahingegebene Blut CHristi, dargereichet wird. 2) Weil wir, durch Geniessung des *Sacraments*, zur Vergebung der Sünden, als zu einem *termino ad quem*, gelangen sollen, und CHristus selbiges zu diesem Ende eingesetzet. Pro eadem adduci posset exemplum Iudae, ad S. hanc Coenam a Christo admissi, etsi, eum impoeniten-

tentem esse, sciret. Et, ne quis obiiciat uerba *Pauli*, 1. *Cor. XI.* 27. ubi indigni dicuntur rei fieri, corporis, & sanguinis Christi, *Pfaffius* ibi hunc locum, non de impoenitentibus, sed fidelibus, qui ἀναξίως, indigne, i. e. nullo ordine seruato, cujus *uers.* 21. & 22. *anteced.* meminerat, communicent, & propterea poenas temporales subire cogantur, *uers.* 30. & *seq.* accipit. Quam *Pfaffii* doctrinam ego hic excutere nolo, sed examini Theologorum relinquo.

§. XXXI. Materia huius Sacramenti, est res terrena, atque coelestis. Terrena est panis, & uinum.

§. XXXII. Panis intelligitur uerus, ex farina & aqua, non uero ex alia materia, u. g. puluere radicum, tostis asellis &c. pistus, & coctus. Sed, utrum is fermentatus, an azymus, orbicularis, an oblongus sit, nihil refert.

§. XXXIII. Recte igitur, & ex Christiana libertate, nos rotundis placentulis, siue panibus minutis, quos hostias appellant, utimur; cum habeant substantiales panis partes, & accidentia propria panis, saporem, colorem, uim nutriendi &c. Accedit antiqua Ecclesiae consuetudo, & quod hostiae, ad distributionem, & sumtionem, maxime idoneae sint.

§. XXXIV. Sicuti uero panem omnino diſtribui oportet, ita modus diſtribuendi eſt adiaphorus. Siue igitur cultro panis ſecetur, ſiue digito frangatur, ſiue alio quouis modo ad diſtributionem praeparetur, nihil intereſt; cum de hoc nullum, in S. Scriptura, praeceptum extet. Neque fractio neceſſaria eſt, ut per eandem analogice, fractio corporis Chriſti in cruce, repraeſentetur. Nam &, de tali praefiguratione, nihil, in uerbis inſtitutionis, reperitur.

§. XXXV. Ad exemplum Chriſti, panem frangentis, reſpondet *B. Lutherus*, *T. III. Altenb. fol. 61. a.* Soll das gelten, daß man ſo ſteiff dem Exempel Chriſti ſoll folgen, und nicht dem Wort allein, ſo will folgen, daß wir das Abendmahl niergend müſſen haben, denn zu Jeruſalem, im gepflaſterten Saal, ꝛc. Vnde nihil cauſae eſt, cur, abrogatis hoſtiis, communis panis, in S. Coena, introducatur. Sed & in hoc Chriſtiana libertate utimur, ut non diſtinguamus, utrum panis, manibus apprehenſus, ori admoueatur, an ſolo ore ſumatur. Satis eſt, quod ueſcendi cauſa accipiatur, & reuera etiam manducetur. Contrariam Pontificiorum hypotheſin, qui maximum piaculum ducunt, ſi laicus panem conſe-

cra-

cratum manibus tangat, reiicit, & increpat *B. Lutherus*, *T. II. Altenb. fol. 123.* & *T. VI. fol. 103. a.*

§. XXXVI. Alterum ſymbolum eſt uinum; quod a Chriſto, in S. Coenae inſtitutione, adhibitum fuiſſe, dubitandum haud eſt. Conf. *Matth. XXVI. 29. Luc. XXII. 18.* Sicuti autem uinum, uerum & naturale eſſe, oportet, nec alio liquore, ne quidem intuitu abſtemiorum, utendum; ita, cuius qualitatis & coloris, item, utrum merum, an, pro more regionis, aqua dilutum ſit, & in quacunque quantitate offeratur, & bibatur, nihil intereſt. Non tamen, in his, temere quid innouandum, aut, cum offendiculo infirmiorum, recepta conſuetudo migranda eſt.

§. XXXVII. B. Lutherus uinum purum, his uerbis, commendat, *T. III. Alt. fol. 464.* Wiewohl mir beſſer gefällt, daß man lauter Wein nehme, ohne alle Miſchung des Waſſers, darum, daß mir die Deutung übel gefällt, die *Eſ. I. 22.* ſetzt, da er ſpricht, dein Wein iſt vermenget mit Waſſer. Denn lauter Wein, *pergit*, bedeutet die reine unverfälſchte Lehre des Evangelii. Nec aquae, uino admiſcendae, ullibi in S. Scriptura mentio iniicitur, ſed uinum tantum, γέννημα τῆς ἀμπέλου, Chriſtus determinauit,

nauit, *Matth. XXVI. 29.* Talis itaque mixtio, per se indifferens est, & libertati Christianae relicta.

§. XXXVIII. In quo uase uinum sit consecrandum, & communicantibus porrigendum, in S. Scriptura itidem expressum haud est, Euangelistae enim generali uocabulo, ποτηρίȣ, utuntur, quod omne uas, ad bibendum accommodatum, denotat. Itaque & hic, pro libertate Christiana, pugnamus, & calices, ex antiqua Ecclesiae consuetudine, retinemus.

§. XXXIX. Cum S. Eucharistia, sub duplici specie uisibili, pane, & uino, instituta sit, consequitur, eandem etiam, sub utraque, Christianis, nullo discrimine, siue Clerici, siue laici sint, administrandam esse. Vid. *Matth. XXVI. 26. 1. Cor. X. 16. & 1. Cor. XI. 23.* Ita enim non tantum Christus ordinauit, sed & Apostoli administrarunt, *Marc. XIV. 23.* aliisque administrandam praescripserunt, *1. Cor. XI. 22. seq.* Idemque inueteratae consuetudini, primitiuae Ecclesiae, conuenit, &, quod mirum, expresse etiam inculcatur, in Iur. Can. *c. 12. d. Consecr. dist. 2.* ubi additur, quod diuisio, unius eiusdemque mysterii, sine grandi sacrilegio, non possit prouenire. Vbi & illud obseruandum, quod in prima administratione Coenae, Apostoli, non ut

mi-

ministri Ecclesiae, sed, ut Christiani, spectati fuerint.

§. XL. Seculo uero XII. inprimis communio sub una, nec tum tamen plene inualuisse, suosque natales, doctrinae de transsubstantiatione, debere uidetur, quod nempe corpus Christi, in quod panem, mediante consecratione, Pontificii, mutari, uolunt, sine sanguine esse haud queat. Accedebant uarii casus, & pericula, quae sibi circa uinum, in sanguinem Christi, iuxta ipsorum hypothesin, conuersum, figurabant, nec aliter commode, quam calice laicis subtracto, euitari posse, credebant. Singularis est opinio *de Ludewig, Cancell. Halens. in Comment. ad A. B.* ubi *P. I. p. 304. seq.* penuriam uini, in causa fuisse, putat, cur, subducto laicis calice, communio, sub una, introducta fuerit; quem refellit *Boehmer. in Jur. Eccl. Protest. Vol. III. p. 738. seq.*

§. XLI. Neque uero panis, & uinum, aliter materiae rationem, in S. Eucharistia, obtinent, quem quatenus dispensantur, & accipiuntur, manducantur, & bibuntur; quod & seorsim, sicut & Christus administrauit, fieri oportet.

§. XLII. Materia coelestis Coenae Dominicae, est corpus, & sanguis Christi. Illud cum pane, hic cum uino benedicto, uere

&

& realiter unitur, manducatur, ac bibitur. Quae unio, nec ſubſtantialis, nec perſonalis, nec mere παραςατικὴ, aut ſignificatiua, ſed Sacramentalis eſt, ubi nempe, in, cum, & ſub pane, Corpus Chriſti, atque, in, cum, & ſub uino, Sanguis Chriſti, reuera diſpenſatur, & ab ore corporis, modo ſupernaturali & ineffabili, accipitur.

§. XLIII. Quamuis autem momentum temporis, quo unio ſacramentalis incipit, definiri haud poſſit, certum tamen eſt, quod illa reſpectum habeat, ad uſum; extra quem nihil rationem Sacramenti habet. Vnde Chriſtus, cum S. hoc epulum inſtitueret, haud dixit: aſſeruate, circumgeſtate, adorate, &c. ſed, λάβετε, accipite, manducate, & bibite.

§. XLIV. Cum tamen id, inde a Seculo XIII. a Pontificiis fieri ſoleat, intuitu Proteſtantium, duo notanda ſunt, 1) quod ſolemnes huiusmodi proceſſiones, cum Venerabili, in locis, ubi ſubditi partim ſunt Proteſtantes, partim Romano-Catholici, ab his inſtitui haud queant, ſi anno 1624. in earum poſſeſſione, uel quaſi, haud fuerint, ſed, easdem ibi facere, prohibiti ſint. Namque in *Inſtr. Pac. Oſnabrug. & Monaſt. art. V. §. 31.* ſubditis non aliter, religionem exercere, permittitur, quam quatenus ſacra, dicto anno,

anno, exercita fuiſſe, probare poterunt, 2) Quod nunquam Proteſtantes, ad cultum adorationis, iure cogi poſſint, quando Venerabile circumfertur, aut ad aegrotantes deportatur. Repugnat enim hoc libertati conſcientiae, atque religionis, cui tam ſolicite in *Pace Monaſt.* proſpectum eſt. Vid. *cit. art. V.* §. *43. & 48.* Quae res, a Pontificiis, ſubinde per uim tentata, quantos motus in Imperio, praeſertim in Palatinatu, excitauerit, necdum plene compoſitos, in recenti omnium memoria eſt. Vid. *Fabri Staats-Cantzley, T. V.* & paſſim, it. *Thucelii Acta Publ. Sec. XVIII. P. I. p. 130.*

§. XLV. Ex dictis fluit, quod omnes communicantes, etiam indigni. participes reddantur corporis, & ſanguinis Chriſti. Neque enim, intuitu ſubſtantiae Sacramenti, ullum eſt diſcrimen, ſed tantum intuitu ſalutaris uſus, atque effectus.

§. XLVI. Sicuti uero manducatio panis, & bibitio uini benedicti, eſt ſenſibilis ac naturalis, ita manducatio corporis, & bibitio ſanguinis Chriſti, eſt uera quidem, ſed inſenſibilis, ſupernaturalis, & mentis humanae cogitationem excedens. Credimus nempe firmiter τὸ ὅτι, quamuis determinationem modi non aſſequamur, ut in aliis myſte-

mysteriis etiam fieri solet. Inhaeremus enim simpliciter, uerbis institutionis, eorumque significationi propriae, in testamentis praesertim attendendae; cum neque Christus, neque Paulus, neque Euangelistae, alicuius tropi, uel signi, ullam mentionem faciant.

§. XLVII. Formam S. Coenae, constituit integra externa actio, circa rem terrenam atque coelestem occupata. Cuius tres actus sunt, consecratio, distributio, & λῆψις, quae fit manducando, & bibendo.

§. XLVIII. Consecratio Symbolorum, alias benedictio dicitur, graece ἐυλογία. Etsi uero, in S. Scriptura, expressum haud reperiatur, quibus uerbis Christus, cum benediceret, & gratias ageret, usus sit, neque certa precum, & gratiarum actionis, formula sit praescripta, antiquissimo tamen Ecclesiae instituto, quod iam Apostolos secutos fuisse, uerosimile, & ex *1. Cor. XI. 24.* colligitur, inualuit, ut consecratio, recitatione uerborum institutionis Dominicae, peragatur; cuius antiquitatem, praeter ceteros, demonstrat *Quenstedius, in antiq. biblic. tit. de consecr. §. 4. seqq.*

§. XLIX. Quando unus tantum Sacerdos administrat, ut in pagis fieri solet, is unam speciem consecrare, eandemque mox distri-

ſtribuere, & deinceps alteram quoque conſecrare, & exhibere, iubetur in *Ord. Eccl. Sax. p. 155.* uerbis: Damit aber bey der *Conſecration* und Austheilung des H. *Sacraments* auf den Dörffern gleiche Ordnung gehalten werde, ſollen die Pfarrer, da das *Sacrament* auf eine Zeit nur durch eine Perſon ausgeſpendet wird, erſtlich die Wort des *Teſtaments* CHriſti von ſeinem Leib ſprechen, oder ſingen, und alsbald darauf allen *Communicant*en den Leib CHriſti austheilen, darnach erſt ſollen ſie auch die Wort von dem Kelch erzehlen, und darauf das Blut CHriſti denen *Communicant*en zu trincken geben. Idem inculcatur, *p. 160.* intuitu aegrotantium. Quod, licet per ſe adiaphorum ſit, tamen, propter auctoritatem legis eccleſiaſticae, diligentius, quam in ipſa etiam Saxonia fieri ſolet, obſeruari debebat. Idque inſtitutum propterea commendat *Schilt. in Inſt. Jur. Can. L. II. t. 3. §. 3. in not. lit. c.* quod ſic interuallum, inter conſecrationem, & uſum, euitetur.

§. L. Diſtributio, ſeu exhibitio, graece ἐπιδίδωσις, fit recitando uerba, cum panis benedictus datur: Nim hin, und iß, das iſt der Leib CHriſti, der für dich gegeben iſt, der ſtärcke und erhalte dich, im Glauben, zum ewigen Leben. Et quando calix benedictus

 por-

porrigitur: Nim hin, und trinck, das ist das Blut JEsu CHristi, das für deine Sünde vergossen ist, das stärcke und erhalte dich, im rechten Glauben, zum ewigen Leben. Vid. *Ord. Eccl. Sax. p. 156.* quae nullo modo immutare, aut, in eorum locum, alia substituere, licet. *cit. Ord. Eccl. art. gen. 8. p. 34.* §. Nachdem auch. Neque hic discrimen, intuitu sexus, aut dignitatis, seruandum; sed, ut formula praescripta iubet, omnes in secunda persona alloquendi sunt. Quod, si quis pro iniuria habere audeat, a limine iudicii, cum graui admonitione, repellendus est.

§. LI. Circa exhibitionem, illud etiam diligenter Sacerdoti obseruandum, ut prius panem benedictum, quam uinum, distribuat; id enim institutio praecipit. Quamobrem, si haec, inuerso ordine, neglecta sit, graui poena afficiendus est Parochus, & Sacramentum, anxie petentibus, de nouo administrandum est. Vid. *B. a Lyncker Diss. de eo, quod iustum est, circa S. Coenam, c. 4. §. 12.* Reliqua autem solemnia, cerei ardentes, formatio crucis, campanulae, linteorum &c. usus, ad res adiaphoras, & instituta humana, temere haud mutanda, pertinent.

§. LII. Ipsa λῆψις, seu sumtio Coenae, fieri debet deuote, decenter, ac circumspecte;

cte; ne offendiculum infirmioribus praebeatur. Qua de re bene cautum eſt, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 8.* §. Nachdem auch. Vtrum uero quis ieiunus, an cibo, ac potu, uſus, accedat, per ſe quidem indifferens eſt, nec praxi primitiuae Eccleſiae repugnat; quia tamen ieiunus alacrior, ad ſacras meditationes, eſſe ſolet, quam pranſus, & potus, hinc, citra neceſſitatis caſum, externa haec diſciplina, in Eccleſia recepta, negligi haud debet. Quod & de geniculatione, abſtinentia ab uſu coniugali, item ueſtitu, quod non gladiati, ſed palliati, accedamus, dicendum.

§. LIII. Finis cui, ſeu ſubiectum, cui Sacramentum hoc, tanquam medium gratiae, applicari debet, ſunt homines Chriſtiani, qui ſe ipſos probare poſſunt, iuxta illud Apoſtoli *1. Cor. XI. 28.* δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτὸν, der Mensch prüfe sich selbst. Hinc, in Saxonia, Eccleſiae miniſtri, confitentes, de digno uſu S. Coenae, publice admonere, iuſſi ſunt, per Mandatum, quod extat apud *B. Beierum in addit. ad Carpz. L. II. def. 274.*

§. LIV. Muti & ſurdi, etiam naturaliter tales, ſi fidei ſuae, atque deſiderii, ſigna quaedam edere ualeant, a S. Coena arcendi haud ſunt; de quo peculiare Reſponſum Proto-Synedrii Dresdenſis recitat *B. Beierus, c. l. def. 278.*

 qui

qui etiam *def. 280. & 287.* recte cum Carpzouio docet, quod coniuges, pendente Separationis processu, non uero, si propria autoritate separatio facta, item rei criminum, pendente inquisitione, ad usum S. Coenae admitti debeant.

§. LV. Finis cuius, est uel internus, uel externus. Internus est commemoratio mortis Christi, nec non obsignatio promissionis, de remissione peccatorum, nostraeque fidei confirmatio, &c. Qui fines intermedii ad ultimum, nempe aeternam communicantium salutem, tendunt. Finis externus, est ius communionis, & fraternitatis; ut nempe quis membrum illius Ecclesiae esse censeatur, in qua ad S. Eucharistiam admittitur. Spurius autem, & improbandus, finis est, quando S. Coena, uel ad innocentiam probandam, uel ad confirmationem foederum, accipitur; neque enim in hunc finem a Christo instituta est.

§. LVI. Nunc de adiunctis huius Sacramenti uideamus. Pertinet huc 1) Locus, ubi administrari debet; qui ordinarie, & regulariter, est Ecclesia, & Coetus publicus, exemplo Ecclesiae Corinthiacae, *1. Cor. XI. 20.* Add. *Act. XX. 7.* Vnde Synaxis, & Communio, dicitur. Quamobrem priuata communio, quae, ex missis priuatis, origi-

riginem duxiſſe, uidetur, improbatur, nec, ſine expreſſa Principis diſpenſatione, apud nos, permittitur, in ſacrario, multoque minus in aedibus priuatis, communicare; exceptis captiuis, aegrotis, feminis grauidis, partui proximis, & ubi inopinatum, uel ſimile impedimentum, obſtat, quo minus quis publice, cum reliquo coetu, communicare queat. Qua de re in Sax. prodiit peculiare Edictum A. 1706. quod extat in *Corp. Jur. Eccl. Sax. p. 517.* idemque recitat *Beyerus.* in *addit. ad Carpz L. II. def. 292.* Add. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 14.*

§. LVII. Cumque celebratio S. Euchariſtiae ſemper habita ſit, in Eccleſia, praecipua pars Cultus Diuini, inprimis propter meditationem paſſionis Dominicae, conſequitur, non exiguum abuſum eſſe, qui paſſim, in Eccleſiis noſtris inualuit, quod ſoli fere communicantes eidem intereſſe, ceteri autem, uelut actus iſte nihil ad ipſos pertineret, abire ſoleant. Quod in melius mutari, & populum, de negotii, quod hic agitur, & omnes tangit, grauitate, diligentius informari, eoque rem perduci, ut non prius, quam illud plene, cum gratiarum actione, & benedictione, finitum, quisquam, citra neceſſitatis caſum, diſcedat, omnes cordati optant. conf. *c. 64. d. conſecr. diſt. 1.*

§. LVIII. Tempus quod attinet, illud arbitrarium eſt. Regulariter tamen diebus Dominicis, & feſtis, S. Synaxis adminiſtratur. Vid. *Ord. Eccleſ. art. gen. 8.* §. Es ſollen aber. Vt tamen alii dies, pro conſuetudine cuiusque loci, haud excludantur. Sic &, quoties S. Coena utendum ſit, Scriptura non definit. Itaque hoc cuiusque conſcientiae, & libertati, relictum intelligitur. Frequentem tamen ſacratiſſimi huius pabuli uſum, & eius Diuina uirtus, & commemoratio mortis Chriſti, propter quam inſtitutum eſt, commendat. Vid. *1. Cor. XI. 23. ſeqq. Ord. Eccl. Sax. art. gen. 8.* §. Desgleichen ſollen.

§. LIX. Primi Chriſtiani, ſingulis diebus, Coenam Dominicam celebrarunt; praeſertim cum, perſecutionum tempore, in perpetuo, & praeſentiſſimo uitae diſcrimine, uerſarentur. Poſtea, ſingulis diebus Dominicis, omnes, qui praeſentes erant, communicabant. Inſecutis temporibus, ſufficere uiſum, ſi quis ter ad minimum, ſingulis annis, nempe feſto Paſchatos, Pentecoſtes, & Natalis Domini, S. Coena frueretur. Vid. *c. 16. 19. & 21. d. Conſecr. diſt. 2.* Tandem Innocentius III. in *c. 12. X. d. poenit. & remiſſ.* conſtituit, ut ſinguli Chriſtiani, ad minimum ſemel in anno, & quidem Paſchatis Feſto, ſub poena excommunicationis, & inho-

inhonestae sepulturae, communicarent. Sed hanc necessitatis legem, ad certum tempus alligatam, ex merito redarguit, & pro libertate Christiana propugnauit *B. Lutherus, T. I. Altenb. fol. 702. b. T. II. fol. 112. b. & fol. 124. b.*

§. LX. Ex dictis illud consequitur, quod nemo, ad usum S. Coenae, carcere, mulcta, aliaque poena ciuili, cogi debeat. Sicuti enim fides coactionem respuit, ita nec media gratiae, atque salutis, humanam uim admittunt. S. hoc epulum non inuitos, non reluctantes, multoque minus obtorto collo adductos, sed anhelantes, & sitientes conuiuas requirit. Qui coactus, & repugnante animo, accedit, est indignus, sibique ad iudicium illud sumit. Cuius peccati participem se utique reddit, quicunque uim, & coactionem, adhibet. Vnde B. Lutherus passim ostendit, huiusmodi media uiolenta, a Christianis, longissime abesse debere. Vid. *Index Tom. Altenb. Lutheri Loc. XIII.* Vom H. Abendmahl, *c. 24. sub rubr.* Daß es unrecht, die Leute zum *Sacrament* zwingen. *item:* daß die Leute sollen frey seyn, zum *Sacrament* zu gehen.

§. LXI. Nihil itaque causae est, cur adstipulemur *Carpzouio*, qui *L. II. Jprud. Consist. def. 294.* carceris, aliamue poenam, hic

locum habere, putat. Cuius argumenta diluit, eiusdemque rationibus satisfecit *Boehmer. in Jur. Paroch. Sect. 4. c. 1. §. 21. seqq. p. 200. & seq.* Vnde, quae in *Corp. Jur. Sax. Eccl. p. 338. & 375.* habentur, de censura Ecclesiastica, in eos adhibenda, qui ultra annum & diem, a mensa Domini, admoniti licet, abstinuerunt, non de poena aliqua Ciuili, sed excommunicatione, accipio. Quia nempe huiusmodi homines, in quibus pertinax Verbi Diuini, & Sacramentorum, contemtus, deprehenditur, communione Ecclesiastica omnino indigni sunt, adeoque, primorum Christianorum exemplo, eiici & expelli, non uero, ad usum sacratissimi huius epuli, per uim, adigi, merentur. Hinc *B. Lutherus, T. IV. Altenb. fol. 464. & fol. 517.* ait: Daß der das *Sacrament* nicht suche, noch begehre, zum wenigsten einmahl oder vier des Jahres, da sey zu besorgen, daß er das *Sacrament* verachte, und kein Christe sey.

§. LXII. Quae omnia cum recte mecum perpendo, non parum mirari soleo, quod in hoc quidem Parochi officio suo recte fungantur, dum quotidie increpant eos, qui raro ad mensam Domini accedunt, sed non aeque diligenter, ac pari zelo, ab usu S. Coenae publice dehortentur, quicunque

non

non ueterem Adamum exuere, & peccata, quibus indulget, gulam, libidinem, ambitionem, auaritiam, perſecutionem proximi, & ſimilia, delinquere, ſerio intendat. Hoc, hoc ulcus frequenter tangendum, hic abuſus S. Coenae grauiter, & quotidie, perſtringendus erat; quod nempe plerique, ex mera conſuetudine, & opinione operis operati, ſtatis temporibus, menſae Dominicae appropinquent, ſine ullo, uitae prioris emendandae, propoſito. Hoc enim qui habet, & cui ſalus aeterna cordi eſt, non habebit calcaribus opus, ſed ſponte ac ultro curret, atque ſalutare hoc pabulum anxie deſiderabit. Qui nullum tale deſiderium in ſe deprehendit, minus peccat, ſi abſtineat; ne, indigne accedendo, peccata peccatis cumulet, ſibique iudicium diuinum grauius reddat. Hinc quotidie Eccleſia cauit: Iſt dir wohl, ſo bleib davon, daß du nicht kriegeſt böſen Lohn. Cum uero ſic illis in locis, ubi nummus confeſſionarius in uſu eſt, magna pars ſalarii parochialis, pro qua illa haberi ſolet, periclitaretur, rurſus apparet, quantis incommodis, iſte nummus, anſam praebere ſoleat. Quod ſi enim hoc monitum ſequerentur, qui ſe Chriſtianos ferunt, menſa Domini, maximo nunc hypocritarum numero circum-

fusa, plerumque nullos, uel paucissimos, conuiuas habitura erat.

§. LXIII. Constat etiam, peculiares passim uestes, quas missaticas, Meß-Gewande, Chor-Röcke, appellant, a Sacerdotibus, in celebratione Eucharistiae, adhiberi solere. Quae, ad imitationem Sacerdotum in V. T. posteaquam opinio de sacrificio inualuit, a Pontificiis introductae sunt. Apud nos usus earum liber & indifferens est, adeoque nec temere de nouo recipi, nec, ubi receptae sunt, abrogari debent.

§. LXIV. Sed & ordo, a recepta consuetudine, pendet; iuxta quam primo masculi, deinde feminae, accedunt. Idem ordo expresse imperatus est, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 8. §.* Damit auch. Enimuero praecedentiae ius, iuxta praerogatiuam dignitatis, in S. Coena attendi, christianae simplicitati haudquaquam conuenit, & uariis scandalis occasionem praebet. Vnde communicantes, in hanc uanitatem intenti, nihil minus se, quam ueros Christianos, esse, luculenter ostendunt. Vt hinc laudem mereantur instituta, quibus passim haec praecedentia, in usu S. Coenae, abrogata est.

§. LXV. Apud ueteres Christianos Agapae, seu conuiuia caritatis, in publico coetu, institui solebant. Quibus finitis, Coena

Coena Dominica, uelut postcoenio, utebantur. Vid. *1. Cor. XI.* Sed postea S. Coena agapis praemissa, & tandem harum usus, propter abusum, plane desiit.

§. LXVI. Quod denique sumtus attinet, quibus panis & uinum comparantur, hi regulariter aerario Ecclesiastico incumbunt; in subsidium uero, & quando huius uires non sufficiunt, Parochiani illos conferre debent; nisi forte, ex consuetudine recepta, Pastor, uel Custos, ad eosdem teneatur. Cuius generis collectae, a ueteribus, oblationes, Opffer-Geld, appellabantur.

Capvt VIII.

DE
OFFICIO PASTORIS, CIRCA PRECES PVBLICAS, ET RELIQVAM LITVRGIAM.

§. I.

Liturgia, in lato sensu, quoduis ministerium significat. Vid. *Hebr. I. 14.* ubi angeli uocantur, πνεύματα λειτουργικά, dienstbare Geister. Sed h. l. strictius accipitur, quatenus uniuersum Dei cultum externum, & publicum, denotat; germanice, Gottesdienst. Vnde Libri Liturgici dicuntur, qui ritus,

ritus, & ceremonias, sacrorum publicorum, definiunt.

§. II. Quamuis autem uerissima ratio, Deum colendi, placandique sit, si in Spiritu & ueritate adoretur, h. e. si Deus, & proximus, toto corde diligantur, cultus tamen externus adeo negligi haud debet, ut eius necessitas, ex ipso Jure Naturae, recte deriuetur. Vid. *Pufend. in L. de O. H. & C. cap. de Relig. Nat.* Actus uero, quibus peragi debeat, sunt uel Juris Diuini, u. g. administratio Sacramentorum, praedicatio Verbi Diuini, & Oratio Dominica, uel Juris Humani Ecclesiastici; qui circa obiectum, per se adiaphorum, siue indifferens, occupantur.

§. III. In primitiua Ecclesia ritus hi paucissimi, & simplicissimi, fuerunt. Quo longius, successu temporis, Christiani a puritate cordis, atque ab amore Dei, & proximi, recesserunt, eo magis numerus, & pompa illorum, creuit; cum plerique sibi persuaderent, & hodienum persuadere soleant, omnia uitia, atque peccata, solo huiusmodi Numinis externo cultu, citra serium, illa deserendi, propositum, expiari posse. Quo nihil, ab indole, & genio religionis Christianae, magis abhorret, nihilque, ad homi-

homines decipiendos, commodius, a Daemone, excogitari potuit.

§. IV. Diuiditur liturgia, in solemnem, & minus solemnem. Illa ex omnibus, uel saltem plerisque, actibus sacris, praesertim Homilia, Administratione S. Coenae, & Eleemosynarum collectione, constat. Eademque rursus est, uel ordinaria, quae singulis hebdomadibus, die scil. Dominica, recurrit, uel extraordinaria, quae diebus festis, aut supplicatoriis, ad quos Litaniae & ieiunia pertinent, celebratur. Minus solemnis Liturgia, paucioribus actibus sacris, absoluitur. Cuius generis sunt, die Catechismus-Examina, Bet-Stunden, Kinder-Lehre. Vtraque, tam solemnis, quam minus solemnis, prout personarum conditio postulauerit, occurrit, in nuptiis celebrandis, & exequiis ducendis; bey den Braut-Messen, und Seelen-Messen, ut apud Pontificios appellantur.

§. V. A Liturgia differt, priuatum religionis exercitium, quod non modo non impediri, sed omnibus modis promoueri meretur; si modo abusus, & contemtus ministerii Ecclesiastici, absit. Qui enim, domestica huiusmodi pietatis exercitia, promiscue damnant, satis produnt, nomen quidem ipsos Christianorum prae se ferre,

sed

ſed uim atque efficaciam abnegare. *1. Cor. XVI. 19. ad Col. IV. 15.* Ad ſpecies cultus Diuini priuati, Votum etiam, & iusiurandum, referri ſolent.

§. VI. Ius definiendi & praeſcribendi Liturgiam, quatenus a iure humano dependet, & circa adiaphora occupatur, non eſt penes Patronum Eccleſiae, nec Dominum iurisdictionalem, imo nec penes Conſiſtorium; ſed eſt pars iuris ſummi, circa ſacra, quod Principes Proteſtantes, ui maieſtatis, uel ſuperioritatis territorialis, exercent. Sicuti uero boni, & ſapientis Principis eſt, nihil, quod grauioris momenti ſit, in rebus politicis, temere, & ſine conſilio fidorum miniſtrorum, agere; ita uel maxime in rebus Eccleſiae ordinandis, pios, doctos, prudentes, ac moderatos Theologos, in conſilium adhiberi, par eſt. Turbulenta autem ingenia, claſſicum, ubi hoſtis non eſt, canere, & cum propria umbra ſtrenue luctari adſueta, quibus, non tam exemplum gregis eſſe, quam aliis dominari, & ſupra eos eminere, cordi eſt, cane peius & angue, uitanda ſunt.

§. VII. Praecipua pars, Cultus Diuini publici, haberi ſolet, Concio, ſeu praedicatio Verbi Diuini, die Predigt; circa quam, officium Paſtoris, iam ſupra ſtrictim indicaui,

caui. Inprimis cauere debet, ne, tam artificio humano, quam auxilio diuino, confidat, quod prius, quam suggestum conscendat, in spiritu & ueritate, implorare debet. Quam uero methodum, & dispositionem, Pastor, in praedicando Verbo Diuino, obseruet, siue illa analytica, siue synthetica, siue schematica, siue alia quaecunque sit, nihil interest; nullam enim reiicio, aut damno. Sed fateor, illam mihi semper optimam, atque, ad animos hominum conuertendos, maxime idoneam, uisam esse, quae minus ex arte humana trahat, illamque minus sapiat. Non enim ostentatio eruditionis, sed aedificatio populi, scopus concionantis esse debet. Idem illud inculcat *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 3.* uerbis: Die Pfarrer und Kirchen-Diener, in Städten und Dörffern, sollen ihre Predigten also anstellen, daß sie zur Erbauung der Gemeinde CHristi, in wahrhaftiger Erkenntniß und Furcht GOttes, auch zu aller Christl. Zucht und Gottgefälliger Erbarkeit, dienen mögen. Vnde saluberrime in Saxonia, peculiari Mandato Regio, cautum est, ut quisque Pastor, aliusue minister Verbi Diuini, singulis annis, methodum, qua, in praedicando uerbi diuino, usus est, Consistorio, & per hoc Potentiss.

Re-

Regi, eiusque Senatui Ecclesiastico, insinuari debeat.

§. VIII. Elencho contra dissentientes, praesertim toleratae, in Imperio, religoni addictos, prudenter & moderate, sine uerbis contumeliosis, utendum. Id enim spiritus mansuetudinis, qui inprimis ministros Verbi Diuini decet, exigit, idemque diserte praecipitur in *Instr. Pac. Osnabr. & Monast. art. V. §. 49.* & *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 3. §. 8.* ibi: die Personen, so darmit eingenommen, mit dem Geist der Sanfftmuth zu wiederbringen, sich befleißigen sollen. Verum & genuinum, Elenchi Doctrinalis, usum summus sacrorum, in Saxonia, Antistes, *D. Marpergerus*, peculiari scripto, quod, ante paucos dies, prodiit, accurate, distincteque, ut solet, exposuit. Quo nihil, in hoc genere, praestantius, atque ad mentem Spiritus S. magis accommodatum, hactenus mihi uidere licuit.

§. IX. Conciones ad populum habere, regulariter ad officium ministrorum ordinatorum pertinet; possunt tamen admitti etiam non ordinati, haud repugnante S. Scriptura. Haec enim solas mulieres, quibus in Ecclesia tacendum, repellit. *1. Cor. XIV. 34. & 35.* Verum hic magna cautione opus, ne promiscue quibusuis, sed tantum sacrarum litera-

terarum probe peritis, concionandi copia fiat. Quid in Saxonia fieri debeat, praecipitur in *Ord. Eccl. art. gen. 3. in fin.* ubi figillatim cautum, quod Studiosi Theologiae, in pagis admitti non debeant, nisi producto testimonio, & concionis habendae exemplo. Quae sanctio, a Pastoribus, passim male negligitur, qui, praesertim, si Academiis uicini sint, Studiosorum industria, ad palliandam pigritiam, saepe abuti solent. Add. *Decret. Synod. Reuis. §. 6.* ubi cautum: Daß die Pfarrer allein denjenigen die Cantzel zu betreten verstatten sollen / die von dem *Superintendent*en, daß es ihnen vergönnet, schrifftlichen Schein vorlegen werden.

§. X. Nec tamen, penes quemuis ordinatum ministrum, ius, habendae concionis, est, sed penes ordinarium tantum. Alius igitur, sine hujus consensu, non admittendus; quod si quis ausus fuerit, arbitrarie punitur; non tamen crimen, turbatorum sacrorum, proprie committitur. Vid. *Boehmer. in Jur. Paroch. Sect. 4. c. 1. §. 6. seqq.*

§. XI. Veteri iure, diaconis regulariter haud licuit, conciones habere, sed tantum homilias Patrum, populo praelegebant. Hodie uero, sublato, hoc in passu, inter Pastores & Diaconos, discrimine, hi non mi-

nus, quam illi, ad populum uerba faciunt.

§. XII. Conciones cuiuis audire, fas est. Parochiano tamen alieno id, Jur. Can. interdictum, per *c. 2. X. d. Paroch. c. 4. caus. 9. q. 2.* Igitur, secundum canones, parochis ius prohibendi competit, quo minus paroeciani alienis sacris utantur. Cum eodem coniungi solet, ius cogendi, ut parochiani, publicas parochi sui conciones, audiant, & frequentent. Vtrumque ius, suo modo, etiam inter Protestantes, receptum, idemque, ex cura animarum, Pastoribus ordinariis incumbente, deriuari solet. Enim uero cauendum, ne talis, uel prohibitio, uel coactio, in legem Christianae caritatis impingat, & in sacram tyrannidem degeneret, uerumque Christianismum magis impediat, quam promoueat. Cum nihil Deo tam displicere possit, quam eius cultus, ab inuito, & reluctante, profectus. In *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 17. & Decr. Synod. Reuis. §. 11.* Parochianis negligentibus, qui conciones saepe, & temere, negligunt, poena sex grossorum, aerario Ecclesiastico inferenda, dictatur. Ceterum in ciuitatibus, ubi plures Parochiae existunt, facilius permitti solet, ut quis alieni Parochi conciones audiat,

it, praesertim, si id, absque contemtu or-
dinarii Pastoris, fieri, appareat.

§. XIIII. Tempus, quando Liturgia incipe-
re, & quamdiu concio durare debeat, a cu-
iusuis loci consuetudine, & lege Ecclesia-
stica, dependet. In Saxonia id expresse
definitum, sigillatim *Decr. Synod. Reuis. in
Corp. Jur. Eccl. p. 369. §. 5.* his uerbis: Und
damit die Leute desto mehr Lust zu Besu-
chung der Predigten gewinnen, so sollen
die Pfarrer an denen Orten, zumahl da
sie keine *filialia* haben, gute Ordnung mit
der Stunde halten, an Sonn- und Feyer-
Tagen im Sommer, um 7. dem Winter
um 8. Uhr den Gottes-Dienst anfangen,
auch nicht über eine Stunde an Sonn-
und Feyer-Tagen, und über eine halbe
Stunde in der Woche mit Predigten zu-
bringen. *Add. art. gen. 3.* Quae sanctio Pa-
rochis in memoriam reuocata, & de nouo
inculcata est, per *Mandatum Regium, de A.
1698. p. 518. Corp. Jur. Eccl. in fin.* Vbi tamen
hebdomadariam concionem, ad tres ho-
rae quadrantes usque, extendere permit-
titur.

§. XIV. Vt uero Parochiani, ad concio-
nes audiendas, magis excitentur, concio-
nantis collegae, si quos habet, ut in ciuita-
tibus contingere solet, & ipsi diligenter il-

his interesse debent; quippe quorum exemplo nihil, ad flectendos animos, efficacius esse solet. Idem expresse dispositum, in laudato *Decreto Synod. §. 9. p. 376.*

§. XV. Partem Liturgiae Ecclesiasticae inprimis etiam constituunt preces publicae, atque solemnes, die gemeinen und öffentlichen Kirchen-Gebete, quarum certae & determinatae formulae, apud primos Christianos, si ab oratione Dominica recesseris, in usu haud fuerunt, sed tamen iam Constantini M. tempore inualuerunt. Harum formam ordinat & praescribit is, penes quem ius summum, circa sacra, est, qui, in illis concipiendis, opera doctorum, piorumque, Theologorum, ut, in Saxonia, supremi Concionatoris Aulici, uel Superintendentis Dresdensis, uti solet. Igitur, in huiusmodi statis precationibus, nihil, uel Patronus, uel Ministri Ecclesiae, proprio ausu, imo nec Consistoria inferiora, mutare queunt. Multoque minus ipsis fas est, sine Imperantis auctoritate, contra quemquam, preces publicas dirigere, eundemque, uel haereticorum, uel schismaticorum, catalogo inserere.

§. XVI. Nempe sedulo obseruandum, quod preces quidem, in se spectatae, Iuris Diuini sint, sed, quatenus de statis formu-

lis,

lis, quibus perpetuo utendum ſit, quaeſtio eſt, easdem, ſi Orationem Dominicam excipias, ad ius humanum Eccleſiaſticum, referri debere. Vbi, ſi forte uel Miniſtro Eccleſiae, uel alii cuiquam, ſcrupulus obrepat, an quid illae contineant, Verbo Diuino, & conſcientiae, repugnans, eum Conſiſtorio quamprimum aperire, eiusque diſcuſſionem expectare, debet.

§. XVII. Quod de precibus dictum, idem iuris eſt, in circumſtantiis, circa easdem obſeruandis, u. g. quod ad Orationem Dominicam, uel alias, circa Liturgiam, flecti genua debeant. Id enim, cum per ſe adiaphorum ſit, a nemine, per modum legis, iniungi poteſt, niſi ſumma poteſtate, circa ſacra, gaudeat.

§. XVIII. Quod ſi alienae religioni Princeps addictus ſit, iure ſuo, circa preces publicas, ita uti debet, ne ſtatum religionis, eiusdemque exercitium, prout A. 1624. ſe habuit, turbet, aut impediat. Vid. *Inſtr. Pac. art. V. §. 31. & 48.* Hinc non puto, prohiberi poſſe ſubditos, quo minus cantionibus & precibus publicis, quibus dicto anno uſi ſunt, etiam in poſterum utantur; quicquid diſſentiat *Thomaſius, de Iure Princip. circa adiaph. c. 1. §. 11.* & *Boehmerus, in Iur. Eccl. Proteſt. T. III. Diſſ. praelim.*

 §. 87.

§. 87. ubi sigillatim, de cantione illa notissima, Erhalt uns, HErr, bey deinem Wort, utrum uerba illa: Und steur des Pabsts und Türcken Mord, expungi possint, uel debeant, quando Princeps sacris Romanis addictus est, agunt. Plane, interdum prudentiae regulae suadent, ut subditi hic, pro Ecclesiae suae statu, non rigidi nimis sint, sed aliquid, de iure suo, remittant; ut monet *Linckius, de Jur. Episc. c. 15. n. 60.*

§. XIX. Solemne est, ut preces publicas, pro quibusdam personis, nominatim, fiant. Qui mos antiquissimus est, & uerosimile, eum coepisse, posteaquam agapis, per desuetudinem, abrogatis, oblationes, quae, a fidelibus, fiebant Ecclesiae, & Clericis, successerunt. Tunc enim, uelut ex lege gratitudinis, offerentium nomina, coram altari, inter missarum solemnia, ex diptychis, seu tabula quadam, recitabantur, & Deo speciatim commendabantur. Apud Protestantes, haec nominum memoratio e suggestu, finita concione, in precationibus solemnibus, quae praeleguntur, fieri solet.

§. XX. Neque uero preces, pro singulis, improbandae, si modo abusus absit; ad quem refero, quod saepe tantum honoris, & decori publici, causa exigantur; inter Pastores etiam non desint, qui non tam ex sincero,

cero, & pio corde, ut fieri debebat, sed lucelli intuitu, easdem fundunt; ut apud multos, cum reliqua pietate, etiam hae preces, in pudendum commercium, transiisse uideantur.

§. XXI. Videamus nunc, quibus competat ius, preces publicas pro sese exigendi. Primo igitur huc, sine dubio, pertinet Summus Imperans; quamcunque religionem is profiteatur. Quod ipsum Ius Diuinum expresse praecipit. *1. Tim. II. 2.* Idem intelligendum de Augusta, liberis, fratribus, totaque Domo Principali; prout ipse Princeps ordinauerit. A cuius uoluntate etiam dependet, utrum & qua formula, pro apanagiatis, item pro illis, cum quibus pactum confraternitatis initum, orari debeat. Quod si, de principatu, inter aliquos, lis sit, penes eum, qui possidet, directio precum publicarum est; quippe quae ad commoda possessionis pertinet.

§. XXII. Praeterea ius publicarum precum habet Patronus, seu Collator, in memoriam accepti beneficii, quo, uel fundando, uel dotando, Ecclesiam affecit. Patrono igitur extraneo hic honos non debetur, magistratus tamen, etiam inferior, loci, eodem & ipse frui solet, pro cuiusque Eccle-

ſiae recepta conſvetudine, quae inprimis ſpectari debet.

§. XXIII. Pro aliis ordinarie, & ſtatae preces, nominatim haud fiunt; adeo, ut nec Inſpectores Praefecturarum, die Amts-Haupt-Leute, neque Quaeſtores, die Amt-Leute, regulariter nominari ſoleant. Vid. *B. Beierus, ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 259. & 260.* Extra ordinem tamen reliqui omnes, ut pro ſe, ſpeciatim propter cauſam incidentem, apud Deum intercedatur, recte petunt, u. c. ob morbum, imminens puerperium, longinquum iter, deſponſationem. Vbi tamen, quantum fieri poteſt, praecauendi ſunt abuſus, qui paſſim irrepſerunt, ne uel ob cauſam leuiculam, aut omnino falſam, publicae interceſſiones permittantur.

§. XXIV. Pro aegrotantibus, quando ſpes reconualeſcendi decollauit, hac formula orari ſolet: Bittet hertzlich, daß, wo er iemand in dieſer Chriſtlichen Gemeinde erzürnet, oder beleidiget, er ihm ſolches verzeihen und vergeben wolle, deßgleichen habe er in ſeinem Hertzen auch gethan. Vbi quaeri ſolet, an, hoc ipſo, iniuriarum actio remiſſa, cenſeatur? Communis ſententia eſt negatiua; quam iuuat, quod plerumque, aegrotis ignorantibus, tales preces expeti, & fundi, ſoleant, qui

qui proinde iuri, alias competenti, nullo modo renunciasse, uideri queunt. Accedit, in Saxonia, noua ratio, quod ibi hodie actio iniuriarum abrogata sit, in ejusque locum simplex denunciatio successerit, quae, ob interesse publicum, continuatur, etsi quis, priuato iuri suo, nuntium remiserit. Sed fateor, me nunquam iniuriarum actiones, a uindictae cupiditate, & animi rancore, ut fieri solet, profectas, cum principiis ueri Christianismi, conciliare potuisse; ut proinde satius sit, eas quouis modo restringi, & impediri, quam promoueri. Add. *Boehmer. Diss. de Iniustitia actionis iniuriarum, inprimis c. 10. §. ult.*

§. XXV. Iuri, preces publicas exigendi, respondet in Parocho obligatio, eademque perfecta, ut illas petentibus, etiam priuatis, regulariter denegare haud queat. Quamuis, propter factam denegationem, iniuriarum actio non facile permitti debeat.

§. XXVI. Etsi uero liberum cuiuis sit, iure precum, sibi competente, uti uelit, nec ne. Quod si tamen eodem utatur, non puto, Parochum ordinarium praeteriri posse; tum, quod praeteritio talis speciem contemtionis habeat, tum, quod coniuncta sit cum iactura honorarii, quod, pro huiusmodi precibus, praestari solet. Quin ue-

ro, praeter Ecclesiam parochialem, simul etiam in aliena, tales intercessiones licite fiant, non dubito; cum sic, Parocho ordinario, nihil omnino decedat.

§. XXVII. Sicuti uero a precibus omnis uanitas abesse debet, ita sigillatim Pompa titulorum studiose uitanda. Nihil enim minus homini peccatori conuenit, quam, magnis & amplis elogiis circumseptum, cum Deo, loqui uelle; ubi uel maxime meminisse debebat, se nil, nisi puluerem, & umbram, esse. Quamobrem haec, in titulis, superbia a precibus publicis sapientissime proscripta est, in Saxonia, duobus Mandatis Regiis, *A. 1710.* emissis, quibus cautum: Daß in Zukunfft von denen bißhero üblich gewesenen *Tituln*, Hochgebohrn, Hochwohlgebohrn, ꝛc. unserm gnädigen Herrn, oder gnädigen Frauen, ꝛc. in denen Vorbitten *abstrahir*et, und schlechtweg vor des Orts Christliche Obrigkeit, so *Patroni*, mit Benennung ihrer Person und *Function*en, zu Unterscheid von andern, so gleiches Nahmens und Geschlechts seyn mögen, ohne weitere *Titul*, und ihre Frauen und Anverwandte *in linea descendente & ascendente*, darunter auch endlich Stief-Väter und Stief-Mütter zu nennen, wie nicht weniger die Geschwister und nechste Anver-

wand-

wandten, *in genere*, ingleichen bey Unmündigen vor Vormünder, *indefinite* und *sub nomine collectiuo* gebethen, vor die eingepfarrte Gerichts-Herren aber, wenn es nicht anders hergebracht, und sie am *Iure patronatus* nicht *participiren*, nur *in genere* vor den, oder die Herren Eingepfarrte und deren *Famili*en zu bitten, wo aber sie bißhero mit Nahmen genennet, es annoch beyzubehalten. Integrum eorum tenorem refert *B. Hornius, in annot. ad Schilt. Jus Can. L. II. t. 1. §. 26.*

§. XXVIII. Publicis precibus contradistinguuntur priuatae, quae passim, ad pulsum campanae, der Bet-Glocke, publica autoritate, fieri solent. Cuius generis sunt illae, quae in *Recess. Imp. de A. 1544. §. 58.* mandatae sunt. Easdem approbat, & inculcat *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 9. in fin.* Ad eundem censum, suo modo, pertinent horae canonicae, quae tamen fere in merum opus operatum, ut alia pleraque, etiam inter Protestantes, degenerarunt.

§. XXIX. Partem Liturgiae constituunt quoque sacri hymni, & musices Ecclesiasticae, etiam instrumentalis, speciatim Organorum pneumaticorum, usus; qui per se adiaphorus est. Abusus in eo consistit, quod, qui illam exercent, fere tantum in

regu-

regulas artis suae intenti sint, & saepe Operam Italicam potius, quam musicen sacram, repraesentent. Quo ipso tamen uerus, & pius, illius usus haudquaquam tollitur.

§. XXX. Hymnos in lingua, populo uernacula, cani debere, res ipsa poscit; cum alias, nulla fere ad hunc utilitas, & fructus, inde redundet. Add. *1. Cor. XIV. 7. 8. 11. & seq.* Quales uero hymni canantur, nihil interest; modo nihil, quod a principiis uerae religionis abhorreat, complectantur. Quo intuitu cauendum, ne libri cantionum promiscue, & sine censura, in publicum prodeant; recentioribus etiam hymni ueteres, & in Ecclesia dudum recepti, ac approbati, quales prae ceteris, Ambrosiani, & a B. Luthero compositi, sunt, merito praeferuntur.

§. XXXI. Peculiarem hymnorum speciem constituunt Collectae, quae a Ministro Ecclesiae, omnium quasi uota, ac preces, colligente, unde ipsum nomen ortum esse uolunt, cantando recitari solent. Improbat eas, & salse traducit, *Strykius Iun.* in *Diss. de Iure Sabbati, c. 4. n. 134.* Sed is quidem nodum in scirpo quaerit; cum nihil omnino referat, utrum preces simpliciter, an per cantum, ore proferantur, si modo, ex pio, & sincero corde profectae sint. Qualis animus

nimus si desit, semper reiici, & improbari merentur, quocunque demum modo ab homine fundantur. Optandum tamen, ut huiusmodi Collectae, quantum sine innouandi studio fieri potest, potius germanice, quam latine recitentur. Notissimus etiam est hymnus glorificationis: *Gloria sit Patri, & Filio, & Spiritui S.* cui uerba: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper*; ex Decreto Synodi Nicaenae, in odium Arianorum inserta fuisse, commemorat *Strauch. in Amoenit. Jur. Can. eclog. 1. c. 14.* Add. *B. Horn. in annot. ad Schilt. L. II. t. 1. §. 28.*

§. XXXII. Quod, tempore luctus publici, musica instrumentalis, in Ecclesia, cesset, nihil habet, a ratione cultus Diuini, alienum; etsi dissentiat *Schilt. Inst. Jur. Can. L. II. t. 1. §. 29.* Sicuti enim musices usus, in Ecclesia, ad res, per se indifferentes, pertinet, ita etiam, illius intermissio, eodem iure, censeri debet. Add. *Boehmer. Diss. de Luctu publico, thes. 32.*

§. XXXIII. Denique Liturgiae aliquando, uelut adminiculum & incentiuum pietatis, accedit Ieiunium, das Fasten, quod in abstinentia, a cibo & potu, consistit. Hoc, Jure Diuino, praeceptum haud est; adeoque a Christiana libertate pendet; nisi eius necessitatem lex humana imponat.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Liquet igitur, ieiunia publica indici non posse, nisi ab eo, qui reliquam Liturgiam ordinat, h. e. qui summo iure, circa sacra, gaudet. Is proinde etiam definit, quale ieiunium, totale, an partiale, esse, item, quamdiu durare debeat. Dispensatio etiam locum habet, sicut in aliis legibus humanis, & casus necessitatis, u. g. intuitu aegrotantium, exceptus intelligitur.

Caput IX.

DE OFFICIO ET JURE PASTORIS CIRCA RES ET BONA ECCLESIASTICA, Kirchen- und Pfarr-Güter.

§. I.

Inter res nullius, actu & potentia, ut loquuntur, tales, i. e. quae in commercio esse nequeunt, Iure Romano, referuntur res, quae Iuris Diuini esse dicuntur. Sunt illae rursus triplicis generis, Sacrae, Religiosae, & Sanctae.

§. II. Vera causa, cur tales res commercio humano putarentur exceptae, erat consecratio. Namque res sacrae diis superis, religiosae, diis inferis, & sanctae, semideis, seu

ſeu heroibus, dicabantur. Quamobrem eas dominio deorum ſubiacere, Romani cenſebant, in quod, homini, inuolare, nefas eſſet.

§. III. Hac uero ſuperſtitione, inter nos, ceſſante, dominium rerum ſacrarum, & religioſarum, penes Eccleſiam eſt; ſuprema uero, in eas, poteſtas, nec non dominium rerum ſanctarum, Principi competit.

§. IV. A rebus ſacris, differunt res, quae Eccleſiaſticae audiunt. Illae immediate, hae uero mediate, cultui Diuino inſeruiunt. Eccleſiaſtica bona, rurſus duplicis ſunt generis. Vel enim fructus, inde redeuntes, Eccleſiae, uel perſonis, cedunt. Illa Kirchen-Gütere, in ſenſu ſtricto, haec autem, Pfarr-Gütere, appellantur.

§. V. Alia quoque, inter utraſque res, differentia, in effectu, cernitur. Namque res ſacrae, extra caſum neceſſitatis, & pietatis, alienari haud queunt; in eccleſiaſticis uero alienandis, ſola utilitas ſufficit, praeuia cauſae cognitione, & mediante Conſiſtorii Decreto, approbata.

§. VI. Acquiruntur bona Eccleſiae, per amortizationem, deſinunt uero, per ſecularifationem, quam uulgo appellant.

§. VII. Acquiſitio fit, non ſolum per actum inter uiuos, ſed & ultimam uoluntatem.

tem. Ex hac quidem olim, ſub ethnicis Imperatoribus, Eccleſia capere non poterat; quia nempe, pro coetu illicito, habebatur. Enimuero, tempeſtate Conſtantini M. Imp. aliud introductum, conſtitutumque eſt, ut in poſterum Eccleſiae, & heredes inſtituti, & legata capere poſſent. *L. 1. C. d. SS. Eccleſ.* Idem obtinuit, ſi Epiſcopo, uel Sacerdoti, aliquid relictum eſſet; id enim Eccleſiae cedebat. *L. 42. §. 2. C. d. Epiſc.* Jure Canonico autem diſtinguitur, utrum Epiſcopo aliquid a propinquo, an extraneo, relinquatur. Priori caſu, Epiſcopus relictum ſimpliciter capit; poſteriori autem, Eccleſiae, portio Canonica, cedit. Inter Proteſtantes hodie, non a quo, ſed quo intuitu, quaue intentione, aliquid relictum ſit, attendi ſolet.

§. VIII. Quod ſi heres ſcriptus ſit, JEſus Chriſtus, ſubintelligitur Eccleſia Parochialis, cuius membrum teſtator fuit. Quae huiusmodi hereditatem, alendis pauperibus, impendere debet. *L. ult. C. d. SS. Eccleſ.* Add. *Ill. de Berger in Oecon. Jur. L. II. t. 4. p. 362.*

§. IX. Propter inficiationem, uel moram, in praeſtando legato, Eccleſiae, aliiue piae cauſae, relicto, admiſſam, dupli poena, Jure Romano conſtituta eſt. Vid. §. *19. & 24.*

l. d.

I. de Act. Cui hodienum locus eſt; cum nihil cauſae ſit, cur eadem abrogata dici debeat. Vid. *B. Horn. in Reſponſ. Claſſ. VII. Reſp. 7.*

§. X. Si teſtamentum, uel ob inhabilitatem teſtatoris, uel ob defectum ſolemnium, inualidum ſit, dubitari ſolet, utrum, in fauorem Eccleſiae, ſuſtineri debeat? Id quod Jure Ciuili recte negatur; neque aliud ex *L. 1. C. de SS. Eccleſ.* ad quam diſſentientes confugere ſolent, exſculpi poteſt. Jure autem Canonico, defectus ſolemnitatum, ualiditatem teſtamenti, intuitu Eccleſiae, haud impedit, ſed ſatis eſt, quod de uoluntate teſtatoris, modo habilis ſit ad teſtandum, conſtet. *c. 11. X. de teſtam. & ult. uol.* Vt hinc tale teſtamentum, inter ea, quae priuilegiata audiunt, referri debeat.

§. XI. Ex teſtamento, ui, metuque extorto, nihil Eccleſiam capere, expeditum eſt; cum talis ultima uoluntas ſimpliciter nulla, & inualida ſit. *L. ult. ff. Si quis aliqu. teſt. prohib. uel coeg.* Sicuti uero ſimplices blanditiae, ualiditati teſtamenti, nihil quicquam detrahunt, ita etiam dubitandum haud eſt, poſſe moribundum blande moneri, ne, in relinquendis legatis, Eccleſiae obliuiſcatur. Quo tamen caſu ſedulo cauere debet Paſtor, ne, dum talia ingemi-

N nat,

nat, & eandem cramben ſemper recoquit, plus ipſi, patrimonium decumbentis, eiusdemque hereditas, quam ſalus animae, cordi eſſe uideatur. Add. *Diſſ. a D. Rethenbergio, ſub meo Praeſidio, habita, de eo, quod, in piis cauſis, impium eſt.*

§. XII. Vti debet Eccleſia rebus legatis, iuxta uoluntatem defuncti, quae exacte implenda; niſi uel religio, uel alia iuſta cauſa, reſiſtat. Tunc enim, auctoritate Principis, uel Conſiſtorii, in alios pios uſus, recte conuertuntur.

§. XIII. Inſpectio circa talia legata, item ſtipendia, &, in genere, pias cauſas, eſt penes Superintendentem. Si contradictio oriatur, adeundum eſt Conſiſtorium, cuius curae, inſpectio illa, ſubordinata eſt. Suprema poteſtas reſidet penes Principem, ui iuris ſummi, circa ſacra; inter Pontificios autem, penes Praeſulem Romanum; qui hanc poteſtatem, Ptincipibus extortam, uſurpat.

§. XIV. Ab inteſtato acquirit Eccleſia, dum ſuccedit clericis, ſi absque heredibus, ſiue teſtamentariis, ſiue legitimis, moriantur. Vid. *L. 20. C. d. Epiſcop. & Cleric.* Idem, circa hoſpitalarios, Hoſpital-Brüder, und Hoſpital-Schweſtern, obtinere, monet *B. Horn. ad Inſt. Schilt. L. II. t. 6. §. 11.*

§. XV.

§. XV. Circa administrationem bonorum Ecclesiasticorum, inprimis cauendum, ne quid detrimenti Ecclesia capiat. Sic u. g. conducit, locationem eorum, non ad longum tempus fieri, & subinde canonem, seu pensionem, mutari; ne illius uniformitas, praesumtionem qualitatis emphyteuticariae, pariat. Add. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 28.* Alias enim, & regulariter, bona potius locata, Laß-Gütere, quam emphyteutica, Erb-Zinß-Gütere, esse censentur. In his canon augeri nequit; quod in illis secus.

§. XVI. Cum, circa directorium causarum, frequens quaestio, inter Superintendentes, & Magistratus Politicos, sigillatimque praefectos, die Amt-Leute, occurrat, obseruandum, quod in Saxonia Elect. illud utrisque regulariter commune sit. Vid. *Resol. Grau. d. A. 1661. §. 3.* Quando autem de eo quaeritur, apud quem Mandata originalia asseruari debeant, distinguendum, inter causas mere Ecclesiasticas, & eas, quae mixti generis sunt. In illis, potior est ratio Superintendentis, u. g. si agatur, von Einsetzung der Kirchen- und Schul-Diener. In his uero, utputa in Klage- und Parthey-Sachen, Originalia, & Rescripta, a Magistratu Politico, custodiuntur. De quo discrimine, extat peculiare Mandatum *Elect. Saxon. d. A. 1666.*

quod recitat *B. Horn.* in *annot. ad Stbilt. c. l.* §. *13.*

§. XVII. Sicuti reliqua bona Ecclesiastica, a ciuili iurisdictione, sunt exemta, ita eadem praesumtio, pro dotalibus, militat; adeoque onus, contrarium probandi, magistratui Ciuili, incumbit. Dicuntur autem dotales, qui uelut in dotem Ecclesiae, concessi, & Parocho operas praestare tenentur, Pfarr-Dotal, item, Pfarr-Bauern, Dotal-Bauern.

§. XVIII. De praescriptione notandum, quod in acquirendo, item in genere, quoad res mobiles, Ecclesia, singulari iure, haud utatur. Contra ea, aduersus illam, quod ad res immobiles attinet, non ualet, nisi 40. annorum, praescriptio, seu usucapio. *Nou. 131. c. 6. auth. quas actiones. C. d. SS. Eccles.* Quo tempore elapso, adhuc beneficio restitutionis in integrum, per quadriennium, gaudet; ut hinc possessor, demum post 44. annorum lapsum, securus sit. *c. 1. X. d. in integr. restit. Clem. un. d. restit. in integr.* Add. *P. II. Const. Elect. Sax. 5.* Excipitur Ecclesia Romana; contra quam, non alia, quam centenaria, praescriptio allegari potest. *cit. auth.*

§. XIX. Ceterum, a tempore praescriptionis, detrahendum est, 1) Tempus tricen-

cennalis belli, ab anno 1618. usque ad annum 1648. 2) tempus ſedis uacantis. *c. 4. & 5. X. d. praeſcript.* 3) tempus, quo adminiſtrator Eccleſiae ipſemet, ad damnum Eccleſiae inferendum, proprio facto concurrit, u. g. ſi in eius praeiudicium, ſimul cum extraneo, pecora ſua, in praedio Eccleſiaſtico, pauerit. *c. 10. c. 16. qu. 4.* Vnde, ſi Praelatus, uel Paſtor, aliquid de facto alienauerit, praeſcriptio demum poſt mortem eius & quidem ab eo tempore, currit, quo ſucceſſor, ſcientiam, factae alienationis, conſecutus eſt. *c. ult. X. Ne ſede uac.*

§. XX. Propter poſſeſſionem, uel turbatam, uel ablatam, uti poteſt Eccleſia perinde, ut alii, remediis poſſeſſoriis, ſiue retinendae, ſiue recuperandae poſſeſſionis. Quo inprimis pertinet, decantatiſſimum illud, & utiliſſimum, remedium *c. redintegr. cauſ. 3. qu. 1.* ui cuius ſpoliatus, i. e. omnis ille, cui poſſeſſio rei, uel iuris, ablata, ante omnia, reſtitui debet. Quod, peculiari commentatione, illuſtrauit *B. Zieglerus.*

§. XXI. Parochus, uel quicunque, bona Eccleſiae adminiſtrat, loco tutoris eſt; adeoque inuentarium conficere, rationes reddere, atque damna, dolo, culpaue, data, reſarcire tenetur. In elocanda inprimis pecunia, cautus ſit, & Eccleſiae hypothecam

expresse, in eius securitatem, constitui, curet. Quod fieri, utile est, intuitu priuilegii praelationis, quod uxor debitoris habet. Imo in Saxonia Elect. hodie eo magis necessarium, quod ibi, per *Ord. Proc. Recogn.* hypothecae tacitae prorsus abrogatae sint.

§. XXII. Redduntur rationes Ecclesiasticae, immediate Superintendenti, atque Patrono; aduocatis etiam Parochianis, eorumque Magistratu; ut, si quid habeant, monere possint; mediate autem Consistorio, & Summae Potestati Ecclesiasticae. Vid. *Ref. Gr. d. A. 1661. Tit.* von *Consistorial*-Sachen. §. 3. Vbi & hoc cautum, quod Superintendentes, circa hoc negotium, nullum sibi directorium arrogare debeant.

CAPVT X.

DE JVRE TEMPLORVM.

§. I.

TEmpli uox, olim de solis paganorum delubris, usurpata legitur. Christianorum uero coetus congregati, & loca congregationis, Ecclesiarum nomine, ueniebant. Postea uero, & iam Theodosii iun. aeuo, haec uocabula promiscue, tanquam synonyma, adhiberi coeperunt. Vid. *L. 4. C. Theod.*

C. Theod. & *L. 3. C. Justin. de his, qui ad Eccles. conf.* Vocantur etiam Basilicae, item loca mysteriorum, uel ministeriorum, *L. 2. C. de SS. Trinit.* nec non GOttes-Häuser, Kirchen.

§. II. Sunt autem Templa nihil aliud, quam aedes, Numini Diuino, eiusque cultui publico, dedicatae, & usibus humanis exemtae. Apud Protestantes hodie solemnis consecratio, qualis apud Pontificios, cum superstitione coniuncta, in usu est, merito exulat. Eius uero loco esse solet, solemnior cultus Diuinus; cui administratio Sacramentorum plerumque accedit. Et quamuis nullam peculiarem sanctitatem muris, & lapidibus, tribuamus, templa tamen, potiori iure, quam priuatas aedes, censeri, nihil habet, a religione alienum.

§. III. Certum est, primis seculis, Christianos templa non habuisse; quod inprimis persecutiones gentilium impediebant. Solet tamen, a multis, origo eorum, ad seculum III. referri. Illud sane constat, temporibus Constantini M. si non introductum eorum usum, saltem numerum maxime auctum, & multiplicatum fuisse; cum pacatis, atque tranquillis, Christianorum rebus, omnia, ad cultum Dei extremum adornandum, conspirarent. Vid. *Euseb. de Vita Constant. L. II. c. 44.*

 §. IV

§. IV. Diuiditur Ecclesia 1) in Cathedralem, ubi Episcopus cathedram, seu domum, habet, unde fortassis appellatio, Dom, manauit, quae & monasterium, Münster, passim audit; Collegiatam, Unter=Stifft, ubi Collegium Canonicorum quidem existit, sed sede Episcopali destitutum; Conuentualem, quae solis monachis, sub inspectione Abbatis, destinata; & Parochialem, cui certa plebs, quae ibi sacris utatur, assignata. Diuiditur 2) in Ecclesiam Matrem, & Filiam. Illa, praeter templum, proprium Parochum habet; in hac uero, templum quidem, sed sine Parocho, existit. Qui autem, nec templum, nec Parochum, habent, uulgo, Eingepfarrte, appellantur.

§. V. Sicuti nullum Collegium, aut coetus, inuito Principe, congregari potest, ita, sine eius consensu, propter ius summum, circa sacra, templa aedificari nequeunt. Directio autem, & administratio structurae, ut & iurisdictio, semper est penes Consistorium; ut tamen Superintendens, penes quem prima quasi instantia est, haud excludatur.

§. VI. Imo, nec Patronus, propter curam fisci Ecclesiastici, nec Parochiani, in hoc negotio, praeteriri queunt. Cum horum,

rum, uel propterea, intersit, quod ipsi, in subsidium, sumtus conferre, teneantur, si uires aerarii Ecclesiastici, ad eos ferendos, haud sufficiant. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 32.*

§. VII. Onus reficiendi, & conseruandi, templa, pariter incumbit aerario Ecclesiastico, uel, in subsidium, ob curam, qua fruuntur, animarum, paroecianis. Quod si tamen certi census, eum in finem destinati, qui Restaur-Zinßen appellantur, hi, ante omnia, erogandi sunt.

§. VIII. Paroecianorum appellatione autem, hoc casu, etiam inquilini, die Häußler, ut & Nobiles, ueniunt; non tantum, si bona allodialia possideant, sed et, si feudalia tantum. Sola enim animarum cura, quae & in ipsos redundat, sufficit, nec quisquam, oneri communi, se recte subtrahit. Vnde nec illi Parochiani liberantur, qui in alieno territorio bona possident. Secus est, intuitu eorum, qui bona quidem in Parochia habent, sed alterius Ecclesiae paroeciani sunt. Nam in his causa, & fundamentum, contributionis deest. Neque etiam filialistae, ad hoc onus, regulariter tenentur; cum ipsi proprias aedes sacras, habeant, quae sartae, tectaeque, ab ipsis, seruandae

 sunt,

ſunt; niſi aliud, uel conuenerit, uel conſuetudine introductum ſit.

§. IX. Partes templi extantiores ſunt, Chorus, Gremium, & Narthex. Chori nomine uenit locus, ubi altare conſtitutum eſt; quod hodie, in extrema templi, uerſus orientem, parte, fieri ſolet. Habetur is locus, prae ceteris, honoratior; unde regulariter ſoli Eccleſiae miniſtri in eo conſident, excluſis laicis. Vid. *c. 1. X. d. uit. & honeſt. cler.* Niſi quod Patrono etiam is honos conceſſus fuerit. Id quod, apud Proteſtantes, non tam rigide obſeruari, ſed alii etiam laici admitti ſolent.

§. X. Gremium, alias quoque, nauis templi audit; ubi auditores conueniunt. In eo plerumque etiam ſuggeſtus, der Predigt-Stuhl, collocatur; qui a cancellis, quibus cingi ſolebat, hodienum Cantzel uocatur. Alicubi tamen, etiam in Choro, imo in ipſo altari, eiusdemque ſuperiori parte, umbo erigitur; es gehet die Cantzel zum Altar heraus. Narthex notat locum templi extremum, olim poenitentibus deſtinatum; unde hodieque locus peccatorum appellatur. Graecum hoc uocabulum ferulam ſignificat, ſub qua poenitentes eſſe cenſebantur, facultate, gremium intrandi, iisdem adempta,

§. XI.

§. XI. Sed de subselliis templorum, Kirchen-Stühln, eorumque iure, nunc plenius agendum. Haec sunt in dominio Ecclesiae, usus uero est singulorum, idemque nunc liberior, nunc adstrictior, pro diuersitate eorum. Sunt enim subsellia ecclesiastica triplicis generis. Primi generis sunt illa, quae certis personis, officii intuitu, destinata sunt, Herrschafftliche Stühle, Amts-Stühle, Professorn-Prediger-Stühle, &c. Quorum usus non diutius, quam officium, durat; adeoque nemini officialium, oblato licet pretio, ad dies uitae, concedi debent. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 36. in fin.* ibi: Was aber von Verkauffung der Stühle gemeldet, das soll allein auf die *priuat*-Personen, und nicht auf die Gestühle, die in Städten der *Vniuersit*ät, oder dem Rath, Hauptmanne, oder andern, so *in publico officio* seyn, in Dorff-Kirchen aber auf die *Collatores*, die von Adel, und da der Richter, Schöppen, Kirch-Väter, &c. besondere Stühle hätten, verstanden werden.

§. XII. Pro his subselliis, nihil Ecclesia percipit; die Amts-Stühle dürffen nicht gelöset werden. Unde nec regulariter, eius sumtibus, uel exstrui, uel reparari debent; sed hoc onus, uel ab ipsis officialibus, uel ex aerario publico, ferendum; nisi uel pactum,

uel

uel consuetudo contraria, ostendi possit. *B. Horn. in annot. ad Schilt. L. II. t. 7. §. 6.*

§. XIII. Altera classis continet subsellia hereditaria, Erb-Stühle, quorum usus ad heredes transit; adeoque horum natura extraordinaria est, & a regula deflectit. Namque regulariter, non iure hereditario, sed tantum ad dies uitae, subsellia concedi debent. Vid. *Ord. Eccl. Sax. c. l.* uerbis: So soll auch kein Stand, noch Stuhl, einem Mann, oder Weib, erblich, sondern allein auf des Besitzers Leben lang vergönnet werden. Vnde etiam, in concessione subselliorum hereditariorum, nisi aliud expresse actum sit, tacita conditio reluitionis, pro modico honorario, ab heredibus faciendae, subesse intelligitur. Vid. *B. Hornius, c. l.*

§. XIV. Transit uero usus horum subselliorum, ad heredes, uel cuiuscunque generis, uel solos descendentes, aut consanguineos; prout inter eorum structores, seu possessores, & Ecclesiam, conuenerit. Omne enim ius, ab huius concessione, pendet, cuius formula proinde, ante omnia, inspicienda est. Vnde etiam horum proprietas, penes Ecclesiam, manet, in priuatos autem, nonnisi dominium iuris alicuius, quod potissimum in usu, ex pacto,

ad

ad heredes transitorio, consistit, transfertur; exemplo sepulcrorum hereditariorum. De utrisque actio confessoria utilis, nec non remedia possessoria competunt.

§. XV. Eiusdem generis sunt capellae, quas uocant, die Capellen, Kirchen-Stübgen, rc. item subsellia, certis aedibus, & fundis, item certis familiis, adscripta, quae itidem, mutato possessore, reluenda sunt. Inter quae hoc inprimis discrimen est notandum, quod illa perpetuo ad aedes, seu praedium, pertineant, adeoque ad quemuis possessorem, cum illis, transeant, haec uero, extincta familia, ad Ecclesiam reuertantur, quae deinceps libere de iisdem disponit.

§. XVI. Ceterum ex dictis liquet, in huiusmodi negotiis, cum Ecclesia, emtionem uenditionem, aut similem contractum, subesse; quocunque demum pallio tegi soleat. Vt hinc, subsellia Ecclesiastica, non simpliciter extra commercium esse, liquido appareat; cum eorum usus quotidie, certo pretio, redimi soleat. Nihil enim magnopere referre puto, utrum pecunia, pro qua ille conceditur, pretii, pensionis, honorarii, aut oblationis, nomine ueniat; utrobique enim contractus indicatur, qui rem, non prorsus extra commercium constitutam;

utique

utique supponit. Aliud de ipsis templis dicendum, quae sigillatim spectata, hodienum extra commercium esse solent. Neque absonum, ut aliud iuris sit, in principali, aliud in accessorio. Vnde nec, in definiendo praediorum pretio, templorum ratio habetur, die Kirchen werden, bey denen Gütern, nicht in Anschlag gebracht.

§. XVII. Tertia classis complectitur subsellia communia. Quae rursus, pro diuersitate sexus, in ea, quae uiris, & illa, quae feminis destinata sunt, Männer- und Weiber-Stühle, distinguuntur. In genere autem, subsellia templorum, ad res immobiles, ciuiliter tales, referri possunt, propter destinationem, ad perpetuum eorum usum.

§. XVIII. Cum subsellia sint in dominio Ecclesiae, ut dictum, consequitur, ea exstrui non posse, absque Parochi, & aedilium Ecclesiae, consensu; quippe penes quos est cura, & administratio, bonorum Ecclesiae. Vid. *Ord. Eccl. Sax. cit. art. gen. 36.* Derowegen soll in den Kirchen, aufn Dörfern und in Städten, hinführo kein Stuhl ohne sonderlichen Vorwissen, und Erlaubniß des Pfarrers, und der Kirchen-Väter, gebauet werden. Circa ipsam structuram, inprimis obseruari debet, ne, per eandem,

pro-

prospectui uersus suggestum, & altare, officiatur. *Ord. Eccl. c. l.*

§. XIX. Praesumuntur subsellia communia, & non hereditaria, quae ad dies uitae, pro certo honorario, ab Ecclesia conceduntur. Quamobrem qualitas subselliorum hereditariorum, intelligitur esse facti, atque adeo, ab allegante, probari debet. Probatio fit, uel per contractum, cum Ecclesia initum, uel per praescriptionem; cui, circa subsellia etiam, locum esse, non dubito; quia, ut uidimus, non simpliciter sunt extra commercium. Tempus praescriptionis, ut in aliis rebus Ecclesiae, est 40. annorum, cum additamento quadriennii, ad petendam restitutionem in integrum, Ecclesiae competentis. Requiritur autem, ut quis tanto tempore possederit subsellia, tanquam hereditaria; adeoque initium praescriptionis, ab eo demum tempore, computandum, ubi, post mortem possessoris, qui, ad dies uitae, illa ab Ecclesia redemerat, heres illa, sub hac qualitate, i. e. tanquam hereditaria, occupauit.

§. XX. Honorarium, pro quo subsellia redimuntur, modicum esse, nec facile, mutato possessore, augeri debet. Vnde improbanda omnino, & inhibenda est licitatio, ubi, plus licitanti, subsellia addicuntur;

ita

Ita enim, pauperes ſemper praecludi, manifeſtum eſt. Non uero tantum, quid utile Eccleſiae, ſed &, quid aequum ſit, & cum lege caritatis conſentiat, ſpectari debet.

§. XXI. Ceterum, in communibus etiam, ſeu non hereditariis, ſubſelliis redimendis, ultimi poſſeſſoris proximi cognati, & heredes ab inteſtato, iure protimiſeos gaudent, ſeu aliis praeferuntur. Exercendum uero illud, intra quatuor hebdomades, pretio conſueto Eccleſiae actu numerato. Vid. *Decret. Synod. in Corp. Jur. Sax. Eccl. p. 351.* ibi: Wenn ſich auch Kirch-Stände durch Abſterben, oder Abzug, derer, ſo ſie betreten, oder beſeſſen haben, erledigen, ſo ſollen die nechſte Erben ſolche, innerhalb 4. Wochen, bey Verluſt derſelben, zu löſen, und der Kirchen das Geld zu entrichten, ſchuldig und pflichtig ſeyn. Add. *Decret. Synod. Reuiſ. p. 387.*

§. XXII. Vbi obſeruandum, 1) quod hic intelligantur cognati late dicti, ſine diſcrimine agnationis, & cognationis, in ſpecie ſic dictae. Sola enim gradus proximitas attenditur; adeoque etiam, heredum uocabulo, tantum illi, qui ab inteſtato ſuccedendi ius habent, exaudiendi ſunt; excluſis extraneis, teſtamento forte inſtitutis. 2) Quod ſpatium quatuor hebdomadum, ab obitu pos-

possessoris nouissimi, uel ejus migratione ex Parochia, von Zeit des würcklichen Abzugs, currat. Quo posteriori casu, non semper initium illius spatii accurate definiri potest; quod in casu priori secus. 3) Quod debeant esse cognati & heredes eius, qui subsellia plene acquisiuerat. Sola igitur petitio eorum non sufficit, der Stuhl muß würcklich gelöset, und zugeschrieben seyn. Vid. *B. Beierus, in addit. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 368.* 4) Quod, per migrationem ex Parochia, talis intelligenda sit, ubi non sola habitatio, sed ipsum domicilium, cum animo, eo in loco, in quem quis concedit, perpetuo commorandi, mutatur. Quod etiam contingit in femina, uiro, alibi domicilium habenti, siue Clerico, siue laico, nupta. *arg. L. 65. ff. d. Re Judic. L. ult. §. 3. ad municip.* Vnde non amittuntur subsellia, si possessor, u. g. studiorum, uel operarum, quas locauit, causa, aut alias, ad tempus, discedat. Ne uero subsellia uacua relinquantur, eorum usus interim, dum absens redit, ab Ecclesia aliis locari potest; ut tamen hic quoque proximi absentis cognati aliis anteferri debeant. Add. *B. Horn. in Obs. Jur. Eccl. c. 3. Philippi, de subsellius templor. c. 5. §. 2.*

§. XXIII. Ex dictis facile colligitur, quid iuris, in subselliis communibus, seu non he-

reditariis, Ecclesia habeat, quidue posses-sores. Nempe 1) Ecclesia habet proprietatem, possessores usum. 2) Vsus conceditur pro certa oblatione, seu honorario uniformi, nec facile augendo. 3) Vsus usque ad finem uitae, uel discessum ex Parochia, durat. 4) Alteri a possessore cedi, donari, uel locari, usus eorum nequit. Ex quo, uel solo liquet, ius in subselliis competens, magis cum seruitute usus, quam usufructu, comparari posse. Huius enim commoditas, etiam alteri, locari potest, non tamen diutius duratura, quam usufructuarius uiuit. *L. 38. d. usufr.* 5) De subselliis his, per testamentum, aliamue ultimam uoluntatem, in praeiudicium propinquorum, uel Ecclesiae, disponi nequit. *B. Beier. c. l. d. 263. seq.*

§. XXIV. Ceterum, nec illud ratione caret, quod Nobilibus, aliisque honoratioribus, commodiora subsellia assignari solent, quod improbat *Brunnem. in Jur. Eccl. L. II. c. 2. §. 11.* cum utique hi plus, ad augendas aerarii Ecclesiastici uires, contribuere soleant, quam alii. Vnde haec ipsis praerogatiua, modo pauperibus subsellia in templo haud desint, inuideri non debet. Add. *Beier. c. l. def. 169.*

§. XXV. Excessus, seu profanationes, siue in subselliis, siue in reliqua templi parte, com-

committantur, intuitu loci, grauius puniuntur, quam si alibi peccatum sit. Cognitio de illis, est fori mixti, sed hodie in Saxonia Elect. per peculiaria Rescripta, A. 1724. emissa, illa ad solum Consistorium spectat. Vt hinc, apud nos, iudici seculari fas haud sit, super delictis, in templo perpetratis, inquirere, aut sontes coërcere.

§. XXVI. Imagines in templis habere, per se ad res adiaphoras pertinet. Primis temporibus nullus earum usus, sed postea is, non minus a Latinis, quam Graecis, introductus fuit, ornamenti, non adorationis, causa; quippe quae ad abusus, apud Pontificios, sequiori aeuo, gliscentes, referri debet. Interdictum tamen, & meo quidem iudicio, haud male, ne signum Saluatoris humi, uel sculperetur, uel pingeretur. *L. 1. C. nemini lic. sign. Saluat.* Quamuis illa lex hodie fere negligi, atque insuper haberi, soleat. Sub tempus Reformationis, grauissimi motus, super imaginibus, ex Ecclesia tollendis, auctore inprimis Carolostadio, exorti sunt; cuius ausibus restitit B. Lutherus, & Wittebergam redux, populum de uero, nec superstitioso, imaginum usu, quem in templa reduxit, recte edocuit.

§. XXVII. Quondam Ecclesiae iure asyli

etiam gaudebant, ut criminum rei inde rapi, atque educi, haud possent. Vid. *tit. C. d. his, qui ad Eccl. confug.* quod hodieque passim, inter Romano-Catholicos, in usu est. Sed apud Euangelicos hoc priuilegium, nulla solida ratione suffultum, merito negligitur. Non tamen reus, qui ad locum sacrum confugit, sine praescitu Consistorii, uel saltem Superintendentis, aut Pastoris, nisi forte periculum in mora sit, inde protrahi debet. Vid. *B. Horn. ad Schilt. L. II. t. 7. §. 12.*

§. XXVIII. Templis accenseri solent Scholae, & Xenodochia, seu hospitalia, etsi non tam ad res sacras proprie, quam Ecclesiasticas, referri debeant. Igitur cura, inspectio, & iurisdictio, intuitu eorum, ad iudicem Ecclesiasticum, non secularem, regulariter pertinet.

§. XXIX. Idem iuris est in coemeteriis, quae uulgo, Kirch-Höfe, Gottes-Aecker, appellantur. Quamuis enim, iuxta Jus Can. non consecrentur, sed tantum iis benedici soleat, *C. 7. X. d. Consecr. Eccl.* tamen, sine discrimine, siue templis contigua sint, siue seorsim habeantur, Ecclesiasticae iurisdictionis sunt. Quod etiam inter Protestantes ita obtinet, utut apud hos ne quidem benedictio eorum in usu sit. Quamobrem,

sine

ſine Conſiſtorii praeſcitu, & conſenſu, coemeteria noua condi haud debent. Add. *c. 4. X. d. religioſ. Domib. c. 4. X. d. Sepult. Horn. c. l.* §. 14.

CAPVT XI.
DE
RELIQVIS AEDIFICIIS, NEC NON REDITIBVS ECCLESIASTICIS.

§. I.

PRaeter templa, adhuc alia aedificia Eccleſiaſtica dantur, inhabitationi perſonarum, quae Eccleſiae inſeruiunt, deſtinata. Quo pertinent aedes Parochorum, Diaconorum, nec non cuſtodum, ſeu aedituorum. Quae omnes, quantum fieri poteſt, non procul a templis conſtitui debent; quia in his pleraque illarum perſonarum miniſteria obeunda ſunt.

§. II. Cura & inſpectio, in his aedificiis, itidem ad Summam Poteſtatem Eccleſiaſticam pertinet; quae illam, per Conſiſtoria, & Superintendentes, exercet; ita tamen, ut, ſi res grauioris momenti ſit, ad hanc recurri debeat. Neque etiam, ſi talia aedificia, uel de nouo exſtruenda, uel reſtauranda ſint, Patroni & paroecianorum conſenſus, prae-

sertim propter onus contributionis, negligendus. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 32.* §. Damit aber.

§. III. Inde consequitur, Superintendentem excludi non posse a rationibus, quae reddenda sunt, de collectis, siue a Parochianis, siue ab extraneis, licet ex mera liberalitate, in refectionem aedium Ecclesiasticarum factis. Talis enim pecunia, in hunc usum semel collata, statim naturam rei Ecclesiasticae induit; a cuius cura utique Superintendens arceri nequit. Puto tamen, excipiendum esse casum, ubi quis sponte, & ultro, nullo iure cogente, sumtus ad aedificia Ecclesiastica, ea lege, contulit, ut ipsi soli rationes expensarum communicarentur. Quisque enim liberalitati suae legem, quam uult, dicere omnino potest; neque talis conditio quicquam inuoluit, quod uel a ratione alienum, uel donantis potestatem excedat.

§. IV. Sumtus, ut in templis, ita & in reliquis aedificiis Ecclesiasticis reficiendis, uel de nouo excitandis, erogantur ex aerario Ecclesiae. Quod si deficiat, uel non sufficiat, Paroeciani ad eos tenentur. Vbi tamen, inprimis si de aedibus parochialibus, in matre, agatur, frequentissima lis, super modo contribuendi, inter Ecclesiam matrem, & filia-

filialiſtas, incidit. Quo caſu ſi nec pactum, nec conſuetudo, aut lex ſpecialis, oſtendi poſſit, rationis eſſe exiſtimo, ut, qui in Eccleſia matre uiuunt, plus conferant, quam illi, qui in filia degunt. Quia compluribus emolumentis, & compendiis, fruuntur, quibus hos carere oportet. Atqui onerum ratio, iuxta commodorum proportionem, ineunda eſt. Hinc paſſim, aequitate ita ſuadente, inualuit, ut Eccleſia mater duas tertias, filialiſtae autem trientem, huiusmodi impenſarum ferant. Vid. *Finckelth. de Jure Patronatus, c. 4. n. 87.* Vbi tamen, cum lex deficiat, arbitrium prudentis iudicis excluſum haud eſt, quo minus aliquando habita circumſtantiarum ratione, filialiſtas in plus, aliquando etiam in minus, condemnet. Generalis enim regula hic tradi nequit.

§. V. Inprimis attendendum uenit, utrum in filia etiam aedes Parochiales exiſtant, quas illa ſartas tectasque ſeruare debeat, nec ne. Namque duplici onere filialiſtas, praeter neceſſitatem, grauari, aequum haud fuerit. Saltem, ad aequale onus, tali caſu, eos adigi, haud oportet. Ceterum, perſonis Eccleſiaſticis, quoad reſtauratio aedium durat, alia habitatio conduci, aut penſio, pro ea comparanda, ſubminiſtrari debet.

§. VI. Sicuti uero omnes Parochiani, propter curam animarum, qua fruuntur, ad aedificia Ecclesiastica, si aerarii conditio id exposcat, symbolam suam conferre, tenentur, ita distributio sumtuum, iuxta leges iustitiae distributiuae, pro modo facultatum, quas quisque possidet, facienda est. Quod si concurrant mansarii totales, cum partialibus, item hortulanis, & illis, qui nuda tuguriola possident, die Gantz-Hüffnere, mit den Halb-Hüffnern, Gärtnern und Häußlern, deficiente pacto, & consuetudine, ea proportio ut plurimum seruari solet, ut duo mansarii partiales, item quatuor hortulani, nec non octo possessores nudorum tuguriorum, pro uno mansario totali, habeantur, adeoque onus, cum eodem, aequale ferant. Vt proinde tuto fidere haud liceat iis, quae, hac de re, *Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 342.* tradit.

§. VII. Praeterea in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 32.* Parochianis iniunguntur operae, ad aedificia Ecclesiastica, iumentis, manuue praestandae, die Roß- und Hand-Dienste. Add. *Decret. Synod. de A. 1624.* §. Wir erfahren. Vbi, in pagis, prioris generis operae, die Roß-Dienste, ab illis solis exigi possunt, qui iumenta, equos scil. aut boues, alunt, atque Anspannere, Hüffnere, item Pferdnere, uul-

uulgo appellantur; reliquis operae manuariae incumbunt, die Hand-Dienste. Add. *Carpz. c. l. def. 341.* In quarum numero tamen censeri non debent illae, quae das Stücken, Kleiben, Latten und Decken, audiunt; quippe quae saltem, aliquale artificium, utut non insigne, praerequirunt.

§. VIII. Ceterum modus contribuendi uariat. Alibi enim fit, iuxta sexagenas, nach denen Schocken, alibi iuxta illud collectae genus, quod, nomine der Quatember, uenit, rursus alibi numerus mansorum, derer Huffen, aut mensura agrorum, spectatur. Vbi, cum lex deficiat, cuiusuis loci consuetudo diligenter attendenda uenit. In dubio, eum modum sequendum esse, puto, quem Parochiani, in aliis collectis, & contributionibus, obseruant.

§. IX. Sicuti Patronus, ab hoc contributionis onere, immunis haud est, sed eidem perinde, ut alii paroeciani, subiicitur, ita uniuersi sumtus, ad aedificia haec reparanda, necessarii, ab eo peti nequeunt; quacunque demum ratione, siue fundando, siue dotando, siue reaedificando, ius patronatus consecutus sit. Nemini enim liberalitas sua, semel exercita, fraudi esse debet. Vid. *B. a Lyncker. cent. XII. dec. 1122.* Plane, si ipsam Ecclesiam destructam, &

funditus euersam, restaurare nolit, ius suum, aedificatione quaesitum, amittit, idemque in eum, qui sumtus reaedificationis suppeditat, transit. Add. *Nou. 67. c. 2. B. Horn. in Diss. de praestat. paroch. c. 4.*

§. X. Pastori, in aedibus Parochialibus, solus usus, non ususfructus, nec proprie habitatio, competit. Vnde eas regulariter ipse inhabitare tenetur, nec seorsim aliis, etsi proprias aedes habeat, locare potest, nisi cum consensu Patroni, & curatorum Ecclesiae. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 32.* §. Deßgleichen wenn die *Pastores* eigene Häuser haben, und darinnen wohnen, welches doch ohne Vorwissen, und Vergunst des *Collatoris*, und der Kirch-Väter, nicht geschehen, noch zugelassen werden soll, 2c.

§. XI. Excipitur tamen, *c. l. in fin.* § Wenn aber, casus, ubi Pastor, etiam in Ecclesia filia, aedes Parochiales habet. Has enim libere aliis locat. Sed inquilinos, Hauß-Genossen, recipere, scandali & damni uitandi causa, c. l. omnino prohibitum. In quo Pastores adhuc deterioris conditionis sunt, quam usuarii; quippe qui, inquilinos admittere, non uetantur, si modo ipsi simul aedes inhabitent. *L. 4. pr. ff. d. us. & hab.*

§. XII. Neque etiam nuptias, in aedibus Paro-

Parochialibus, celebrare, aliter permittitur Paſtori, quam praeſtita cautione, intuitu periculi, & damni, ſi quod forte, ea occaſione, datum fuerit.

§. XIII. Tenetur uero Paſtor, ſuis ſumtibus, aedes parochiales, in ſtatu ſuo, conſeruare, prout boni patrisfamilias officium exigit, er muß das Pfarr-Hauß im baulichen Weſen, oder in Dach und Fach erhalten. Quod onus etiam eo caſu illi incumbit, quando easdem, praeſcitu collatoris, locauit. *Ord. Eccl. Sax. c. l.* ibi: So ſollen dennoch die Pfarrer die Gebäude im baulichen Weſen erhalten. Add. *Reſ. Grau. de A. 1661. Tit.* von *Conſiſtorial*-Sachen. §. 28.

§. XIV. Cum uero ſuper uerbis, Dach und Fach, quomodo intelligi, & quousque extendi deberent, dubium fuiſſet ortum, ſublatum illud, per interpretationem Authenticam, quae habetur, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 32.* uerbis: Nachdem aber über dem Verſtand der Worte, Dach und Fach, viel Uneinigkeit und Irrung, zwiſchen den Pfarrern, und Eingepfarrten, entſtanden, iſt in dem jüngſt-gehaltenem *Synodo* ſolches erkläret worden, daß nehmlich ein jeder Pfarrer ſchuldig ſeyn ſoll, ſeine Gebäude an Ofen, Thüren, Fenſter, Leim-Wänden, Zäunen, Dachungen, und was dergleichen

gleichen seyn mag, wie ein fleissiger Hauß-Wirth thun soll, jährlich zu besorgen, und das so lange, als es sich in wesentlichem Bau halten, und durch seinen Fleiß allen Schaden abwenden soll; Wenn aber ein Gebäude, es sey Ofen, Thüren, Fenster, Zäune, Wände, Dachungen, so alt würde, daß es zu bessern nicht mehr tauge, oder auch durch Ungewitter, oder andere GOttes-Gewalt, Schaden nehme, soll es die Kirchfarth, ohne Zuthuung des Pfarrers, zu erbauen schuldig seyn. Quae omnia, etiam principiis Iuris Communis, consentanea sunt. Nam, secundum haec, modica refectio aedium, usuario, & usufructuario, incumbit, maiores uero sumtus, & ad perpetuam rei utilitatem pertinentes, proprietarii onus sunt.

§. XV. Quamobrem, Pastores, cum rationes Ecclesiasticas reddunt, huiusmodi sumtus modicos, ad aedes parochiales sartas tectasque conseruandas, erogatos, minus recte inter expensa referunt, &, si relati, expungendi omnino sunt. Qua in re Superintendentes plerumque minus, quam par est, diligentes esse solent, metuentes fortassis, ne contra se ipsos sententiam ferant, iisdemque, ex lege talionis, occinatur notissima iuris regula: Quod quisque iu-

ris

ris in alterum ſtatuerit, eodem & ipſe uti debet. Vbi, qnoad ſumtus, ex aerario Eccleſiaſtico erogandos, & illud obſeruandum, quod in Saxonia Paſtoribus, ſub poena reſtitutionis, interdictum ſit, ſine praeſcitu Superintendentis, plus, quam quinque florenos, impendere. Vid. *Decret. Synod. de A. 1624. §.* Und weil. *Corp. Jur. Eccl. p. 349.*

§. XVI. Amplius & liberius ius Parochis competit in agris parochialibus, Pfarr-Aeckern, Pfarr-Huffen, in quibus uſumfructum magis, quam uſum, habent, adeoque eosdem aliis, ſuo arbitrio, locant; idque ut fiat, conſultum eſt, ne Parochi, agriculturae operam dando, in cura animarum impediantur. Imo in uniuerſum optandum eſt, ut miniſtris Eccleſiae, huiusmodi curis Oeconomicis ſuperſedere, liceret, iisdemque aliunde, de ſufficienti ſalario, proſpiceretur. Quamuis enim *B. Brunnemannus, de Jur. Eccleſ. L. II. c. 5. §. 6.* pie moneat, quod agricultura miniſtros Eccleſiae poſſit, ſui muneris, in agricultura, & meſſe ſpirituali, admonere, dubito tamen, an, per hoc monitum, medela afferri poſſit incommodis, quae ex hoc ruſtico uiuendi genere oriuntur.

§. XVII. Ab his agris diſtinguendi ſunt, agri

agri Ecclesiae, die Kirchen-Aecker, Kirchen-Huffen, quorum & proprietas, & usus-fructus, ad ipsam Ecclesiam pertinet, eorumque fructus illius aerario cedunt. Vtrique, non ad longum nimis tempus, locari debent; ne, occasione inde arrepta, possessores illos, pro emphyteuticis, uel censiticis, uenditare, incipiant. Hinc Jure Can. non, ultra triennium, locatio eorum extendi debet. *c. ambitiosa. in Extrauag. de reb. eccles. non alien.* In Saxonia Elect. sexennium est definitum, ultra quod eiusmodi locationem haud fieri oportet. Pensio etiam, seu canon, subinde mutari, atque augeri, iubetur. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 29. Decret. Synod. in Corp. Jur. Eccl. p. 349.* uerbis: Und damit aus den Laß-Zinßen, nicht Erb-Zinßen werden, so sollen die Laß-Güter, nicht stets bey einem Besitzer bleiben, sondern die Kirch-Väter bißweilen solche jemand anders auslassen, auch den Laß-Zinß allezeit über das sechste Jahr verändern, und erhöhen.. Quod iisdem uerbis inculcatur in *Decret. Synod. Renis. §. 76.*

§. XVIII. Agros parochiales gratis colunt rustici, qui uocantur dotales, si qui adsint, reliqui uero parochiani, pro mercede; qui nec aliis operas suas ante elocare queunt; quam eas Parocho, pro aequa mercede, obtu-

obtulerint. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 27.* ibi: Daß die Bauern fremde Aecker um Geld zu beschicken, nicht eher annehmen, es sey dann zuvor des Pfarrers und Schreibers Acker, da sie nicht selbst anzuspannen haben/ samt ihrer Nachbarn desselben Dorffs Acker, um ein gebührlich und gleichmäßiges Lohn, beschicket. Et ne, ut fieri solet, rusticorum unus, in alterum, hoc onus reiiciat, omnes eidem ordine subiiciuntur. Verba *c. l.* ita habent: Damit auch kein Bauer hierin auf den andern sehe, und also ein ieder von sich diese Beschickung auf einen andern schiebe, soll es iedes Orts Obrigkeit also anordnen, so viel die Gelegenheit der Unterthanen leiden mag, daß, welche Pferde haben, dieselben ordentlich und Zech-Weise dem Pfarrern, um den Lohn, beschicken. Add. *Decret. Synod. Reuis. p. 69. Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 356. seq.*

§. XIX. Dantur etiam passim siluae Parochiales, Pfarr-Höltzer, quarum usumfructum, cum Parochi habeant, consequitur, iis non aliter, quam bonum patremfamilias decet, utendum esse, *arg. L. 9. in fin. L. 11. 12. pr. L. 18. ff. d. usufr.* Non igitur, pro arbitrio, Pastori licet, ligna caedere, & siluam deuastare; id quod, cum natura ususfructus exi-

exigit, tum expresse cautum est, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 31.* ubi tantum permittitur parochis, nothdürfftig Feuer-Holtz zu hauen, und ferner nichts. Subiicitur ratio, damit alle nachkommende Pfarrer / so wohl und viel Holtzes finden, und haben mögen/ wie die ietzigen Pfarrer haben, und bekommen.

§. XX. Id quoque *c. l.* in utilitatem huiusmodi siluarum, dispositum reperitur, ne in illis pecora, siue a Pastore, siue a Parochianis, pascantur, addita ratione, weil das Vieh den Sommer-Latten Schaden thut. Quodsi tales syluae, Parochis destinatae, deficiant, uel non sufficiant, aequum est, ut de communibus lignis, von dem Gemeinde-Holtz, perinde ut alii de uniuersitate participent, adeoque in horum diuisione Parochi quoque ratio haberi debet. Idem disertis uerbis praecipitur, in *Ord. Eccl. Sax. c. l.* §. Es sollen auch.

§. XXI. Praeterea, quae hactenus recensita sunt, emolumenta, Parochis certum salarium constitui solet, quod plerumque non tantum, in certa pecuniae summa, sed & aliis reditibus, consistit. Quod iisdem, omni iure, tam Diuino, quam humano, debetur; quamuis forte aliunde habeant, quo se exhibere, & familiam sustentare possint,

ſint; neque enim idcirco, laborem gratis praeſtare, tenentur. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 24.* ibi: **Und ſoll keiner Gemeinde Entſchuldigung angenommen werden, da ſie fürgeben, als ſey der Pfarr ſonſt reich genung.**

§. XXII. Chriſtianae tamen caritatis parum memores, illi Paſtores ſunt, qui, cum alias opibus abundent, a pauperibus parochianis, tempore inprimis belli, aut alius calamitatis, ſiue publicae, ſiue domeſticae, cum rigore id extorquent, quo ipſi facilius, quam hi, carere queunt. Tales enim uix cauere queunt, quo minus ſimplices paroeciani ſcandalum inde accipiant, eosdemque pro mercenariis potius, quam curatoribus animarum, habeant. Contra uero & his, ſi non omnino egeant, incumbit, hilari animo, & ſine cunctatione, temporalia illis debita praeſtare, a quibus ſpiritualia quotidie accipiunt; ne officio ſuo, cum angore, & ſuſpiriis, fungi, neceſſum habeant; praeſertim cum, pleriſque in locis, tam exigua ſalaria, Miniſtris Eccleſiae, conſtituta ſint, ut de illis augendis potius, quam minuendis, cogitari, par ſit.

§. XXIII. Hinc ſaluberrime conſtitutum, in *Decret. Synod. d. A. 1624.* **Daß die Obrigkeit daran seyn soll, daß die Kirchen- und**

Schul-Diener ihre Besoldungen, und anders, zu rechter und bestimmter Zeit, ohne Abbruch bekommen mögen. Atque, ad euitandas lites, desuper oriri solitas, conducit, salaria Ministrorum Ecclesiae matriculae rite inseri. Cuius rei cura ad Consistorium pertinet. Vid. *B. Beier. ad Carpz. Jprud. Eccl. L. I. def. 97.* Huius cognitioni etiam, quod notandum, controuersiae omnes subiiciuntur, quae de salariis, aliisque prouentibus, personarum Ecclesiasticarum, subnasci solent.

§. XXIV. Ius definiendi salaria Ministrorum Ecclesiae, eademque uel augendi, uel minuendi, est penes summam potestatem Ecclesiasticam; ut tamen singulis parochianis, quod per se intelligitur, integrum semper sit, de suo, quantum uoluerint, adiicere, atque de liberalitate cum aliis certare; quam tamen, inter parochianos, raram esse, experientia ostendit. Consistoria inferiora, hac potestate, salaria ex aerario Ecclesiastico augendi, non aliter gaudent, quam quatenus illam supremum Principis Consistorium permittit. De officio Principis Euangelici, circa augenda salaria, & honores Ministrorum Ecclesiae, *Ill. Thomasius*, quod multis mirum uideri possit, pecul. Diss. egit.

§. XXV.

§. XXV. Ex hoc liquet, in Patroni potestate haud esse, quicquam tentare, quod ad diminutionem bonorum Parochialium tendat. Hinc literae Reuersales, quibus Patronus Ecclesiae, cum Parocho, uel ante, uel post susceptum officium, paciscitur, de imminuendis bonis, & reditibus Ecclesiae, aut parochialibus, omnino improbandae sunt, eaedemque, nec aerario Ecclesiastico, nec successoribus in officio, praeiudicare queunt. Namque tale pactum, contra leges initum, ipso iure nullum est, atque omni effectu destituitur. *L. 5. C. d. LL. uid. c. quicunque. c. 16. qu. 7. c. 25. X. d. Decim. c. un. X. ut Eccles. benefic. sine dim. confer. Ord. Eccl. Sax. art. gen. 30.* Vbi, hoc casu, uterque paciscens, & Pastor, & Patronus, poenae arbitrariae subiiciuntur. Sunt tamen, qui putant, huiusmodi conuentionem, praesertim suscepto iam officio initam, inter ipsos paciscentes tantisper subsistere, quamdiu Parochi munus durat. Sed nihil afferunt, quod me, ad mutandam sententiam, permouere possit, quam uel unicum argumentum, de nullitate actus, contra legem gesti, satis confirmat. Quia tamen utriusque paciscentis, cum aduersus legem prohibentem agant, turpitudo subest, non abnuo, reditus, quibus tali pacto se abdicauit, &

nuntium remisit, Parochus, non ipsi, sed quamdiu officio praeest, fisco, seu aerario Ecclesiastico, applicandos esse.

§. XXVI. Hanc materiam egregie illustrat casus, Consistorio nostro Wittebergensi, A. 1713. oblatus. Dederat quidam, in uicinia, Pastor Patronae, quae ipsum ad munus Ecclesiasticum uocauerat, huiusmodi literas Reuersales, easdemque iurisiurandi formula munitas; postea ipsum ad munus, quod ambiebat, hoc pacto admotum, initae conuentionis poenituit; re ad Consistorium delata, hoc non dubitauit, memorato pacto, ceu nullo & inualido, omnem uim obligandi denegare. Quo consilio ad Patronam, mens. Febr. dicti anni, sequentem in modum rescripsit: Dargegen der von euch angezogene und von ermeldtem Pfarrer ausgestellte *Reuers*, als eine den *Canoni*schen Rechten zuwider lauffende Sache, gäntzlich aufgehoben und *cassir*et/ euch auch, daß ihr dergleichen gefordert, hierdurch verwiesen wird, und habt ihr euch dergleichen in Zukunfft gäntzlich zu enthalten. Quod decretum, cum illa, mediante leuterationis remedio, impugnasset, Facultas Juridica Lipsiensis, ad quam Acta transmittebantur, illud confirmauit, hac

hac ſententia lata: daß es, eingewandter Leuterung ungeacht, bey voriger Verordnung billig bleibet. Etſi uero nondum acquieſceret Patrona, ſed remedio Appellationis uteretur, non tamen mitiora fata, in ſecunda inſtantia, experta eſt. Secuta enim ſequens ſententia, *Menſ. Mart.* 1715. Daß in erſter *Inſtanz* wohl geſprochen, und übel *appellir*et, derowegen die Sache an deren Richter billig *remittir*et wird, immaſſen wir ſie dahin hiermit *remittir*en und verweiſen; Es iſt aber hiernechſt, wegen Abforderung und Ausantwortung des *Reuerſ*es, gehörigen Orts, eine genaue Unterſuchung anzuſtellen, und *appellat*ens *Principal* inſonderheit darüber, In was für Meynung, auch zu welcher Zeit, und ob nicht in der Abſicht, das Pfarr-Amt damit zu erlangen, er ſelbigen vollzogen? Auch ob er demſelben beſtändig nachzukommen, wahrhaftig *intendir*et habe gehabt? *item*, Ob er nicht vielmehr gewuſt, daß dergleichen *Reuerſe* in den Geiſtlichen Rechten, und Kirchen-Ordnungen, verboten? Und warum er nichts deſtominder mit ſo betheuerlichen Worten, auch Mißbrauch Göttlichen Nahmens und Worts, zu deſſen Feſthaltung ſich verbunden? Auch, wie es ſonſt allenthalben darmit hergegangen? umſtändlich

lich zu vernehmen. Es ist auch *Appellat*, die Unkosten zu gegenwärtigem *Proceß* aus dem Kirchen-Vermögen zu nehmen, nicht befugt, sondern solche aus seinen eigenen Mitteln zu tragen verbunden. rc. Und im Fall bey solchem *Proceß* etwas vorträgliches vor die Pfarr ausgeführet würde, sind die zeither zurück gebliebene Nutzungen weder *Appellanten*, noch *Appellatens Principal*, so lange er an diesem Amte seyn wird, zu lassen, sondern vielmehr immittelst der Kirche zu *N. N.* zuzueignen.

§. XXVII. Praestationes paroecianorum, quae, tanquam pars salarii, Parocho debentur, commode diuidi possunt, in reales, & personales. Illae intuitu fundorum, & rerum, hae, intuitu personarum, soluuntur. Propter onera realia, Parochis ius tacitae hypothecae competit, adeoque actio, etiam aduersus tertium possessorem, datur. Quod in Saxonia, hodie, posteaquam tacitae hypothecae omnes, per *Ord. Proc. Recogn.* abrogatae sunt, usum amplius non habet.

§. XXVIII. Frumentum omne, quod, a parochianis, Pastori, praestandum, ad eius aedes aduehi, uel deportari, debet; ubi, praesente sculteto, seu iudice pagano, in Beysenn des Richters, oder Heimbürgen, mensurari iubetur, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen.* 29.

Quod

Quod & Jure Can. cautum est. Vid. *c. reuertimini. 65. c. 16. qu. 1.* Idem quoque proinde de decimis dicendum, siue in granis, siue in mergitibus, praestentur. Citati enim textus haud distinguunt, atque eadem utrobique ratio, & aequitas, concurrit. Add. *Malach. III. 10.* Circa mensurationem, regulariter adhibetur modus adaequatus, gestrichen Maaß, non uero cumulatus, gehäufftes Maaß, nisi aliter conuenerit, uel consuetudine introductum sit. Id quod, ab allegante, probari debet.

§. XXIX. Ad praestationes personales referuntur nummi missales, die Opffer-Pfennige, item grossi, qui dicuntur, Häußler-Groschen, Häußel-Geld. Illi a singulis cuiusque familiae personis, quae duodecimum aetatis annum impleuerunt, quouis anni quadrante, iedes Quartal ein Pfennig, soluuntur, hi uero, loco grossi, de singulis mansis praestandi, statt des Hufen-Groschens, debentur ab illis, qui agros haud possident; quales sunt, Häußler, Gärtner, Haußgenossen. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 24. & 25.* Soluuntur autem, non pro singulis personis, sed integris familiis, *cit. art. 24.* ibi: von ihnen selbst, ihren Weibern, Kindern, und Gesinde. Quantitas est octodecim nummorum, qui Parocho, & sex nummorum, qui aedituo, annuatim pendi

di debent; nisi aliud pacto, uel moribus introductum, probetur.

§. XXX. Cum uero saepe parentes tuguriola sua liberis concedant, habitatione, aliisque praestationibus, ad dies uitae, sibi reseruatis, mit Vorbehalt eines gewissen Auszuges, frequentissime lis, & quaestio, oriri solet, utrum, tali casu, praestatio haec, das Häußel-Geld, a parentibus, & liberis seorsim, atque adeo duplicata, debeatur, nec ne? Decisio quaestionis ex eo pendet, ut aestimetur, utrum parentes, a liberis, ita separati sint, ut utrique peculiarem familiam efficiant, an uero, etiam post separationem, una familia manserint; id quod, ex separato, aut simultaneo, conuictu iudicandum, ob sie mit den Kindern nicht mehr an einem Tische, und aus einer Schüssel eßen. Priori casu, duplicata praestatio debetur, posteriori uero, simplex. Ad quod discrimen, inprimis Consistorium nostrum Wittebergense, in causis definiendis, respicere solet.

§. XXXI. Qui agros, aliaue praedia possident, nec tamen decimas, & censum, de illis praestant, annuatim panem, ein Hauß-backen Brodt, Parocho dare, iubentur, in *Decret. Synod. Reuis.* §. 66. Ceterum onera, hactenus memorata, etiam illi subire, tenentur,

tur, qui nouas aedes ponunt, aut molendina exſtruunt, quamuis antehac, eo in loco, talia non extiterint, cum ſic, animarum curam augeri, in aprico ſit. Qua in re Conſiſtoria, arbitrium ſuum, ex aequo, & bono, interponere, iubentur, in *Decret. Synod. Reuiſ.* §. 63. uerbis: Was ihnen von den neu erbauten Mühlen, durch welchen ihre Mühe vermehret, vor Vergleichung geſchehen ſolle.

§. XXXII. Sed, de praeſtatione decimarum, pauca adiicienda ſunt. Hae, ſi uocis uim ſpectes, decimam partem notant; aliquando tamen, ex uſu recepto, etiam nonam partem, aliamue quotam, ſignificant. Vbi tamen obſeruandum, quod regulariter, & niſi aliud introductum probetur, in decimis computandis, ſingulorum annorum ratio iniri, neque id, quod, uno anno, infra numerum eſt, in ſequentem reiici, in eoque numerari debeat.

§. XXXIII. Diuidi ſolent decimae, in reales, & perſonales. Illa ex omnis generis fructibus, & rurſus, uel in granis, Sack-Zehend, uel in mergitibus, ſeu manipulis, Garben-Zehend, hae uero ex negotiatione, uenatione, piſcatione, aliisque reditibus debentur. *c. 22. X. d. decim.* Sed perſonales decimae, quae recentius inuentum ſunt,

 ab

ab usu hodie, praesertim in nostris Ecclesiis, recesserunt. Dantur etiam decimae mixtae, quae ex fructibus animalium, utpote lacte, butyro, lana, melle, cera, &c. praestantur, & ab aliis, realibus, seu praedialibus, decimis, nec male, accensentur.

§. XXXIV. Obligationem ad decimas, scil. reales, praestandas, multi ex ipso Jure Diuino repetunt. Vid. *Num. XVIII. 21.* Add. *Leu. XXVII.* & *Exod. XXII.* Quod admitto de Jure Diuino particulari, Judaicae genti tantum lato; quod Leuitae, praeter decimas, nulla bona possiderent; nego autem de Jure Diuino uniuersali, tam morali, quam uoluntario. Quamuis, praeter ceteros, aliter senserit *B. Brunnem. de Jure Eccl. L. II. c. 6. §. 2.*

§. XXXV. Vnde liquet, decimas hodie Clericis non aliter deberi, quam quatenus, lege humana, uel consuetudine, introductae sunt. In Saxonia, lex peculiaris deficit, & textus, qui de decimis agunt, obligationem, pacto, uel consuetudine, nixam, supponunt. Adeoque, apud nos, sine dubio, Clerico affirmanti, & decimas ab eo, qui, se ab hoc onere liberum, contendit, petenti, onus probandi incumbit; quod secus est, de Jure Canonico. Vid. *c. 29. X. de*

Decim.

Decim. Add. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 22. Decret. Synod.* §. Neben dem soll die Obrigkeit, & *Decret. Synod. Reuis.* §. 58. Vbi simul cautum, quod decimas, ex illo frumento, quod cuique in agro suo nascitur, wie es wächset, und so gut es die Leute auf ihren Aeckern erbauen, praestari oporteat.

§. XXXVI. Vbi generatim praestatio decimarum inualuit, ne arborum quidem fructus excepti censentur. Quicquid dissentiat *Carpzou. Jprud. Eccl. L. I. def. 134.* Nolim tamen contrariam consuetudinem, pro irrationali, & Verbo Diuino repugnante, habere, cum *Brunnemanno, in Jur. Eccl. L. II. c. 6. §. 13.* Add. *Beyer. in addit. ad Carpz. c. l.*

§. XXXVII. Cum status religionis, in Imperio Romano-Germanico, etiam quoad reditus Ecclesiasticos, ex possessione, uel quasi, quae Cal. Jan. A. 1624. fuit, aestimari debeat, consequitur, decimas quoque Protestantibus, ex terris Romano-Catholicis, & uice uersa his, ex terris Euangelicorum, praestandas esse, si illo tempore in usu fuerint. Quod non solum in Transactione Passauiensi, & Pace Religiosa, sed & in Pacificatione Osnabrugensi, & Monasteriensi, *art. V.* §. *15.* expresse dispositum reperitur. Quodsi, citra rationem, solius religionis intuitu, denegentur, iuri retorsionis locus est.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Decimae reales praestandae sunt, ex fructibus omnium agrorum, qui intra fines parochiae siti sunt, etsi eorum proprietarii illius parochiani haud sint. Quod in decimis personalibus secus est. Hae enim a solis parochianis debentur. Vsus huius doctrinae inprimis se in unione, uel separatione, Ecclesiarum, per quam noui fines constituuntur, ostendit. Namque Parochus, ex ipso situ agrorum, fundatam intentionem habere intelligitur; nisi aliter expresse conuenerit; quod ut fiat, ad lites euitandas conducit.

§. XXXIX. Neque etiam, ab onere decimarum, immunes sunt agri nouales; per quos h. l. non intelliguntur illi, qui alternis annis coli solent, Braach-Aecker, sed qui nouiter ad culturam redacti, & aratrum experti sunt, neues aufgerissenes, ausgebreitetes Feld. Add. *L. 30. ff. d. V. S.* Sed has decimas, generali consuetudine, Principes hodie sibi, ex iure superioritatis territorialis, asserere, testatur *Strykius ad Brunnem. in Jur. Eccl. c. l.*

§. XL. Non uero, huic oneri regulariter subiiciuntur agri, a clericis, qua talibus, possessi, iuxta uulgatum illud: *Clericus clericum non decimat.* Cuius sedes est, in *c. 2. X. d. Decim.* Vbi simul regula haec limi-

tatur, intuitu illorum clericorum, qui ab aliis clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt. Sicuti etiam propria clericorum praedia, uel ab iis conducta, ab hoc onere libera haud ſunt. Add. *B. Horn.* in *pecul. Diſſ.* de hoc argumento conſcripta.

§. XLI. Immunitas ab eodem onere acquiri poteſt, per priuilegium, quod, iuxta effatum Canoniſtarum, ſolus Pontifex Rom. indulget. Vid. *Lancel. in Inſt. Jur. Can. L. II. t. 16. §. 15.* Apud Proteſtantes hodie ea poteſtate, ſine dubio, Principes, propter ius ſummum, circa ſacra, gaudent.

§. XLII. Sed & praeſcriptio eſt modus, libertatem a decimis acquirendi. Quod qui negant, falſa hypotheſi nituntur, quaſi decimae Juris Diuini Vniuerſalis eſſent, praeſcriptionem haud admittentis. Accedit, quod omnia, quae priuilegium humanum admittunt, etiam praeſcriptioni obnoxia ſint. Vbi tamen ſemper ſupponendum eſt, per talem praeſcriptionem, non impediri clericos, quo minus ipſis, de neceſſariis alimentis, proſpiciendum ſit. Haec enim omni Jure, Diuino, & humano, imo & Naturali Lege, deberi, dubitandum haud eſt.

§. XLIII. Ex quo ulterius conſequitur, per

per praeſcriptionem etiam ius, exigendi decimas, acquiri poſſe, u. g. in aliena Parochia. Quo caſu tempus regulariter eſt XL. annorum, ſaluo quadriennio, reſtitutioni in integrum definito. *c. 6. X. de praeſcript.* Si modo iuſtus titulus, & bona fides, concurrant. Alias enim tempus, hominis memoriam excedens, requiri ſolet.

§. XLIV. Praeſtandae ſunt decimae integrae, non deductis impenſis; ſine quibus alias fructus haud intelliguntur. Id enim peculiaris fauor, huius piae cauſae, efficit. Nec diſtinguitur, inter ſumtus, ſiue ſementis, ſiue fructuum colligendorum, ſiue alias, agri colendi cauſa, facti ſint. *c. 26. X. d. decim.* Imo id ulterius ad tributa etiam, aliaque onera, extenditur, ut haec nullo modo in decimas recidere debeant. *c. 33. X. d. decim.* In quibus omnibus tamen contraria conſuetudo, uel pactum, ſi probari queat, excipitur.

§. XLV. Ne uero Parochi, circa decimas, defraudentur, conſtitutum eſt, ne decimatio, eo haud aduocato, fieri, & frumentum auehi debeat. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 22. princip.* ibi: Es ſoll keiner/ der dem Pfarrer oder Kirchner Zehend zu geben ſchuldig iſt, etwas von Zehend-Acker einführen, er habe denn dem Pfarrer ſolches zuvor-

vor vermeldet, und ihm den Zehend nach rechter Anzahl des Gewächses überliefert und zugestellet.

§. XLVI. Praeter tacitam hypothecam, qua decimae gaudent, competit etiam, illarum intuitu, priuilegium praelationis, ut, orto creditorum concursu, in prima classe exsolui debeant; &, Jure quidem Canonico, ante tributa, *c. 33. X. d. decim.* Jure Saxonico autem, in eadem cum illis, ceterisque oneribus realibus, classe. Vid. *O. P. S. R. Tit. XLII. §. 8.*

§. XLVII. Decimarum exactionem tantus comitatur fauor, ut appellationi locus haud sit; modo nempe liquido debeantur. *c. 2. in fin. X. d. decim.* Quod tamen hodie, inprimis quoad effectum deuolutiuum, uix admittendum, uidetur. Illud tamen expeditum est, quod praestari debeant, quamuis petitae haud sint; ipse enim dies, seu ipsum tempus decimationis, pro homine, interpellat, & Parochianum in mora constituit; quae omne damnum atque periculum, in debitorem morosum, transfert.

§. XLVIII. Quod si Parochiani decimas denegent, ad eas praestandas, conuenientibus remediis, etiam mulcta, aut carcere, compelluntur. Jute Can. etiam excommunicatio, & denegatio Sacramentorum, locum habet.

c. 5.

c. 5. & 6. X. d. decim. Quo tamen rigore Protestantes haud utuntur. Quem si Parochi nostrates, ex auaritia forte, uel etiam ignorantia iuris, adhibeant, non sine graui poena dimittendi sunt.

§. XLIX. Denique obseruandum, quod causa decimarum, clericis praestandarum, sit Ecclesiastica, adeoque in Consistorio tractari debeat, sicuti omnes aliae causae, quae salarium, & reditus, ministrorum Ecclesiae concernunt; quando nempe, circa illas, controuersia, inter Parochum, & parochianos, oritur.

§. L. Praeter salarium, & reditus fixos, seu certos, Parochis etiam accidentia, ut uulgo audiunt, competunt. Quae nihil aliud sunt, quam honoraria, pro certis actibus ministerialibus, praestari solita, Amts-Gebühren, accidentien. Vocantur etiam iura stolae. Vbi iura, stylo recepto, nihil aliud sunt, quam sportulae; quo eodem sensu, die Cantzley-Gebühren, iura cancellariae, appellantur. Stolae uox autem, illud genus uestimenti, quo clerici utuntur, ab eoque ipsum eorum officium, significat, ui cuius speciales quosdam actus exercent, eorumque intuitu, certa honoraria accipiunt.

§. LI. De iuribus stolae nec mandatum, nec

nec prohibitio, in sacris literis extat, igitur illa, si abusum tollas, non improbari, sed inter res adiaphoras referri debent. Et frustra sunt, qui ex illis crimen Simoniae exsculpere cupiunt; cum in aprico sit, nullum hic Spiritus S. donum pretio redimi, aut uendi, sed id tantum agi, ut pro labore, quem minister Ecclesiae, in hoc, uel illo actu, speciatim subit, aliquid ipsi, remunerationis loco, ad meliorem sui, suorumque, sustentationem, praebeatur. Et si, pro officio sacro, in genere salarium recte datur, quidni etiam, pro actu speciali, aliquid dari possit? Nulla sane ratio apparet, cur illud licitum, hoc uero illicitum esse debeat.

§. LII. Sed tamen non diffiteor, quod, propter uaria incommoda, cum quibus, hominum uitio, haec accidentia saepissime coniuncta sunt, expediat, ita clericorum salaria augeri, ut, iuribus stolae, ipsis, commode carere, liceat; quippe quae, inter ipsos etiam clericos, haud raro inuidiae, atque dissensionum, fomes sunt. Cui malo, per aequalem, omnium iurium stolae, inter plures collegas, diuisionem, quam aliqui suadent, sufficiens medela haudquaquam affertur. Optandum igitur, ut res in pristinum statum redeat, &, auctis aliunde re-

Q diti-

ditibus Ministrorum Ecclesiae, iura stolae, non ex necessitate, sed libero cuiusque arbitrio, praestentur.

§. LIII. Jura stolae uarii sunt generis, pro diuersitate actuum ministerialium, pro quibus praestantur. Quales actus sunt, u. g. proclamatio, copula sacerdotalis, preces publicae, concio, uel parentatio funebris, Baptismus, nummus confessionarius, &c. Haec emolumenta quondam omnia, ex mera laicorum liberalitate, proficiscebantur, successu temporis autem, ut euenire solet, eorum nonnulla necessitatis facta sunt. Vnde hodie quaedam, iure perfecto, quaedam uero tantum iure imperfecto, debentur. Illa sunt, quae Parochus iure suo exigit, uirtute uel Legis, uel consuetudinis, rite introductae. Haec autem, cuiusque pudori & arbitrio relicta, intelliguntur; ut sponte oblata quidem accipi, sed, inuitis extorqueri, non possint. In quem censum honoraria, pro Baptismo, & S. Coena, ueniunt, iuxta *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 26. pr.*

§. LIV. Norma, iuxta quam, iurium stolae quantitas, aestimari debet, est Lex publica, item matricula Parochialis, & consuetudo, quae inprimis attendenda est, si modo, secundum legitima requisita sua, probari possit. Vbi manifestum est, non sufficere-

ſufficere actus ſimplices, ubi parochiani plus, quam iuxta matriculam tenebantur, ſponte & ultro, obtulerunt, ſed tales requiri, ubi, uelut ex debito, & neceſſitate, certa, eademque uniformis, quantitas, a parochianis, conſtanter fuit praeſtita. In *Ord. Sax. Eccl. art. gen. 26.* habetur determinatio quaedam eius, quod pro copulatione, proclamatione, & ſepultura, accipi debeat; ſed illam legem iam diu obliterauit contrarius uſus, quem, propter aucta interim rerum pretia, aequitas non parum commendat. Vtiliſſimum, ſententia mea, foret, ut, noua lege, uniformis determinatio iurium ſtolae fieret, quam transgredi Miniſtris Eccleſiae nefas eſſet.

§. LV. Ad abuſus iurium ſtolae inprimis refero, ſi, a notorie pauperibus, exigantur, & interim, donec ſoluta ſint, actus miniſteriales, non ſine ſcandalo, & quandoque ſalutis periculo, differantur, u. g. Baptiſmus, ſepultura, eulogia; item, ſi talia iura, a Parochis, pro lubitu, augeantur, & multiplicentur. Quod inprimis circa Baptiſmum ſpuriorum, & copulationem perſonarum, inter quas concubitus interceſſit, ab illis tentatum, ſed & ſeuere prohibitum fuit, in *Reſcripto Elect. Sax. d. A. 1667. in Corp. Jur. Sax. p. 499.*

§. LVI. Intuitu iurium ſtolae, quae perfecto iure debentur, competunt miniſtris Eccleſiae remedia, tam poſſeſſoria, quam petitoria. Illius generis eſt interdictum, Uti poſſidetis, utile; huius uero, actio confeſſoria utilis; cui opponitur negatoria, qua parochiani utuntur, aduerſus parochos, qui inſolita ſtolae iura nouiter exigunt, aut ea, quae imperfecte debentur, uelut ex iure perfecto petunt, uel etiam indebitum augmentum, ut ab auaris fieri ſolet, intendunt. Quales lites, cum animarum curam impediant, eiusdemque fructum tantum non omnem intercipiant, omnibus modis recidi, &, quam fieri poteſt, celerrime finiri, expedit.

CAPVT XII.

DE OFFICIO PASTORIS, CIRCA ELEEMOSYNAS.

§. I.

INter cetera, caritatis Chriſtianae, officia, quae Parochum inprimis decent, eſt etiam Cura pauperum; quorum is, uelut pater, merito audit; a cuius officio ſacro nihil magis abhorret, nihilque maius ſcandalum, in animis parochianorum, excitat, quam ſi, quo-

quotidie experiendo, discant, ab eo, qui gregis exemplum esse debebat, negligi, & insuper haberi pauperes, per quos repraesentari, & beneficia, in eos profecta, sibi imputari, Christus, Saluator noster, uoluit.

§. II. Quae in pauperes erogantur, eleemosynarum, der Allmosen, nomine ueniunt; ad quas praestandas, obligatio, ex ipso Jure Naturali, quod diuites, pauperibus succurrere, iubet, descendit. Sed haec obligatio tantum imperfecta est, quae conscientiam quidem ligat, sed pauperibus nullum ius exigendi tribuit. Eiusdem generis hodienum sunt eleemosynae, nisi quatenus, ex superioris uoluntate, imperfectum ius, in perfectum, transit. Quo casu eodem, cum aliis collectis, a Principe imperatis, jure censeri debent.

§. III. Eleemosynae, inter Christianos, sine dubio, ex pristinis oblationibus, supersunt, quae a fidelibus fiebant; ubi, quod, ex agapis, reliquum erat, in sustentationem ministrorum Ecclesiae, & usus pauperum, impendebatur. Vid. *Act. XI. 29. seq. Philip. ult. 15.* Posteaquam exoleuerunt agapae, reliqui duo usus superstites sunt; quatenus nempe, cuiusque Ecclesiae, & loci, consuetudo, admittit.

§. IV. Eleemosynae, uel priuata, uel publica auctoritate, colliguntur. Prius cuiuis liberum est, nisi, quatenus superior modum posuit, eamue libertatem restrinxit, quod factum in Saxonia, per peculiare Mandatum, de *A. 1715.* quod de medicantibus, ex instituto, agit.

§. V. Publica eleemosynarum collectio, Superioris auctoritatem, requirit, penes quem ius summum circa sacra est. Quo pertinent, tam generales leges, quam specialia Mandata, quae subinde, circa eleemosynas, emanant. In primitiua Ecclesia eleemosynae, communi consensu, decernebantur, directio autem penes Apostolos erat. Vid. *Act. Apost. c. 1. 1. Cor. ult. 1.* Quae potestas, successu temporis, in Episcopos transiit, quorum iura, cum, apud plerosque Protestantes, Consistoria, Principum uoluntate, exerceant, consequitur, sine eorum consensu, & ratihabitione, a magistratu inferiori, huiusmodi collectionem, concedi non posse. Vid. *Decret. Synod. Sax. in fin.* ibi: Daß demnach sich hinführo niemand unterfange, bey Leibes-Straffe, wer der auch ausser Landes, oder im Lande seyn möchte, öffentlich oder von Hauß zu Hause, das Allmosen zu samlen, es sey denn sein Zeugniß vorhin von Unsern *Consistorien* ei-

en einem *auctorisiret*, und in einem oder dem andern Creyß umzugehen, ausdrücklich erlaubet worden.

§. VI. Modus, colligendi publice eleemosynas, unus idemque haud est, sed uariat. Vulgatissimus modus est, qui fit, in Ecclesia, per sacculum sonantem, durch den Kling-Beutel, de quo *Wilduogel*, *JCtus Jenens.* pecul. Diss. conscripsit. Etsi uero ille incommodis suis haud careat, difficile tamen uidetur, alium, aeque idoneum, in eius locum surrogari. Vt enim hodie conditio Christianorum fert, plerosque magis pudor externus, quam conscientia, ad symbolam suam, in usus pios conferendam, excitat.

§. VII. Comprobatus est hic modus expresse, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 34.* ibi: Zum ersten soll alle Sonn- und Feyer-Tage in der Kirche, wenn die Gemeinde bey einander, das Allmosen iedes Orts mit dem Säcklein gesamlet, und die Zuhörer durch die Pfarr- und Kirchen-Diener vermahnet werden, daß niemand mit leeren Händen, und ohne eine Gottes Gabe vor dem HErrn erscheine. Neque adeo, ubi hactenus in usu fuit, priuata auctoritate abrogari potest, uel debet; praesertim cum ab antiquitate, & usu inueterato, commendetur. Add. *Decret. Synod. Reu.* §. 75.

§. VIII. Circumfertur sacculus sonans, regulariter, per curatores Ecclesiae, seu altaristas, ut uocantur, Kirch-Väter, Altar-Leute, alicubi etiam per aedituos, imo & senatores, pro consuetudine cuiusque loci. Memini quoque, ex Actis, in Consistorio nostro uentilatis, me obseruare, quod hoc, uelut onus reale, interdum praedio cohaereat, cuius possessori illud sine discrimine incumbit, ita tamen, ut femina, quae praedium possidet, illud per substitutum subeat.

§. IX. Offertur hic sacculus cuiuis, nec temere quisquam praeteriri debet. Ceterum ordo, in eo seruatus, nemini, uel praeiudicium parit, uel praerogatiuam tribuit. Et sane misera, Christianorum quorundam, conditio, & stolidissimus fastus, aliunde melius cognosci nequit, quam si, in huiusmodi minutiis, punctum honoris, ut uulgo loquuntur, constituant; & tamen quis credat? inter Christianos, quibus, prae ceteris, humilitas cordi esse debebat, reperire licet, qui saepe non erubescunt, indignari, & acerbissimis uerbis increpare, miserum aedituum, qui forte errat, &, compendium uiae quaerens, aliis prius, quam ipsis, hunc sacculi honorem exhibet. Cum qua insana ambitione, utrum uerus Christianismus stare

ſtare poſſit, cuiuis, qui ſuae ſalutis ſatagit, & ſerio de illa cogitat, iudicandum relinquo. Cuius farinae litem, in iudicio uentilatam, *B. Horn. addit. ad Schilt. L. I. t. 10. §. 11.* commemorat, & ſimul ſententiam, ſuper ea latam, cum rationibus decidendi, ſubiicit.

§. X. Collectio haec, pro actu parochiali, uulgo haberi ſolet, quamuis proprie talis non ſit; cum eleemoſynae, non ex iure perfecto, ſed libera cuiusque uoluntate, praeſtentur. Litem hac de re, ultro citroque uentilatam, commemorat *Wilduogel. cit. Diſſ. c. 6. § 3. ſeqq.* ex eoque *Boehmer. de Jur. Paroch. Sect. 4. c. 1. §. 31.*

§. XI. Collecta, per ſacculum ſonantem, pecunia, finitis ſacris, praeſente Parocho, ab eo, qui ſacculum circumtulit, numerari ſolet, pro cuiusque Eccleſiae conſuetudine recepta. Quod, utrum in ſacello, an ſuper altari, fiat, nihil intereſt; niſi aliud lege cautum, uel conſuetudine introductum ſit. Illud uero modis omnibus cauendum, ne quid ſubduci a quoquam, & in proprios uſus conuerti, poſſit. Quod tamen, ſi fiat, proprie ſacrilegium haud eſt; cum talis pecunia, pro re ſacra, haberi nequeat.

§. XII. Nota etiam eſt, illa collectionis

ſpecies, quae fit per patinas, ſeu uaſa aenea, publice ante fores templorum expoſita, durch Stellung der Becken, vor den Kirch-Thüren; cuius generis ueterum conchae fuiſſe uidentur; item per clauſas pyxides, parietibus templorum affixas. Emitti etiam quandoque ſolent uiri, certis literis petitoriis inſtructi, ad eleemoſynas, in exteris quoque terris, colligendas. Sed & in conuiuiis nuptialibus, ac baptiſmalibus, item, occaſione hereditatum, emtionum, permutationum, exequiarum, eleemoſynae colligi iubentur, in *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 34. add. Decret. Synod. Reu.* § 78.

§. XIII. Fiſcus eleemoſynarius peculiares adminiſtratores habet, qui uulgo, Kirchen- oder Kaſten-Vorſtehere, audiunt. Qui tamen nihil, quod alicuius momenti ſit, absque Paſtoris praeſcitu, ſuſcipere debent. Inſpectio eſt penes Superintendentem, & Conſiſtorium; imo Patronus etiam, & Magiſtratus loci, aliquam eius curam habent, quippe qui & ipſi, omnibus modis, praecauere tenentur, ne quid detrimenti aerarium Eccleſiae, uel pauperum, capiat, & inprimis, ne pecunia egenis, aliisue piis uſibus, deſtinata, a Parochis, ut non raro fieri ſolet, in controuerſiis, & litibus, temere, aduerſus parochianos, motis, aut alias, male conſumatur.

CAPVT

CAPVT XIIII.
DE
CAVSIS MATRIMONIALIBVS, SPECIATIMQVE SPONSALIBVS.

§. I.

SEquuntur causae mixti generis, quae tam a Ciuili, quam Ecclesiastica ratione participant, & uel matrimonium, uel sepulturam, concernunt.

§. II. Primum de Matrimonio; quod praecedunt Sponsalia, quae sunt mentio, & repromissio, futurarum nuptiarum, *L. 1. ff. d. Spons.*

§. III. Ab his differunt nudi tractatus sponsalitii, Heyraths-Tractaten; ex quibus nulla obligatio oritur, sed ab illis perinde, ut in aliis conuentionibus fieri solet, pro lubitu recedi potest.

§. IV. Alia ratio est pactorum, de futuris sponsalibus, quae, das Ja-Wort, uulgo appellantur. Haec enim, propter deliberatum utriusque partis consensum, efficacem obligationem pariunt, & futura, quae respiciunt, sponsalia, nonnisi de solemnitate, & apparatu externo, per se haud necessario, regulariter intelligenda sunt.

§. V

§. V. Quamobrem recipienda haud eſt, *Ill. Thomaſii* ſententia, qui peculiari *Diſſert. de pactis futurorum ſponſaliorum*, vom Ja-Wort, id egit, ut euinceret, nullam iisdem obligandi uim ineſſe, ſed tantum ueniam, mutuo conuerſandi, & mores ultro citroque explorandi, per illa concedi. Cuius generis pacta non praeſumuntur, ſed, qui huiusmodi intentionem fouet, eam liquido exprimere debet, nec, niſi rariſſime, talem conditionem admitti ſolere, experientia oſtendit. Quod argumentum *in Diſſ. de obligatione ex pactis futurorum ſponſaliorum*, late perſecutus ſum.

§. VI. Diſtinguuntur ſponſalia in ea, quae fiunt de praeſenti, & quae ſunt de futuro. Quae diſtinctio originem ſuam Juri Canonico debet, & Jure Ciuili incognita eſt. Hoc enim ignorat alia ſponſalia, quam quae ſunt de futuris nuptiis; ſiue pure, ſiue ſub conditione, ineantur.

§. VII. Dicuntur autem, Jure Canonico, ſponſalia de praeſenti, ſcil. matrimonio, quae praeſens coniugium inuoluunt, ab eoque, intuitu uinculi, & indiſſolubilitatis, nihil differunt, & hinc non, niſi improprie, ſponſalia dicuntur. Illa autem, quae de futuro, ſcil. matrimonio, audiunt, proprie talia ſunt, & futurum coniugium reſpiciunt, eadem-

eademque uel pure, uel sub conditione, contrahuntur. Vid. *c. 2. X. d. Sponf.*

§. VIII. Cuius autem generis sponsalia, partes inire uelint, ex signis externis, quibus uoluntatem suam declarant, iudicandum. Cumque, signa mentis liquidissima, sint uerba, inde Jus Can. in distinguendis sponsalibus, de praesenti, & de futuro, regulariter attendere iubet, utrum uerba praesentis, duco te uxorem, accipio te uirum; an futuri temporis, u. g. ducam te, accipiam te, usurpata fuerint. Vid. *c. 31. & 32. X. d. Sponf. c. 3. X. de sponf. duor.* Quo ipso tamen non solis uerbis praecise inhaeret, sed uult, paciscentium intentionem, quacunque ratione de illa constet, principaliter spectari. *c. 25. X. d. Sponf.*

§. IX. Reiecit has Juris Pontificii definitiones *B. Lutherus*, in Libello, von Ehe-Sachen; ubi, his uerbis, illas perstringit: Gleichwie sie auch ein lauter Narren-Spiel getrieben haben / *cum uerbis de praesenti, uel de futuro*, damit haben sie auch viel Ehen zerrissen / die nach ihren Rechten gehalten haben. Du sollt meine seyn / und dergleichen / haben sie gemeiniglich *uerba de futuro* genennet / und vorgegeben / der Mann sollte also sagen: *accipio te in uxorem*, ich ne[illegible] dich zum Weibe / die Wei-

bes,

des-Person also: ich nehme dich zu meinem Ehe-Mann, und haben nicht gesehen, noch gemercket, daß diß nicht im Brauch ist, teutsch zu reden, wenn man *de praesenti* redet, sondern das heist *de praesenti* geredet, ich will dich haben, *ego uolo te habere*, *est praesentis temporis*, nicht *futuri*. Darum redet kein mensch teutsch von zukünfftigen Verlöbnissen, wann er spricht: ich will dich haben, oder nehmen. Dann man spricht nicht, wie die Gauckler, ich will dich nehmen, *accipiam te*, sondern *accipio te*, heist eigentlich auf teutsch, ich will dich nehmen, oder haben, und wird verstanden, *de praesenti*, daß er iezt mit solchen Worten Ja spricht, und seinen Willen drein gibt. Ich wüste selbst nicht wohl, wie mein Knecht oder Magd in teutscher Sprache sich könnte oder wollte *per uerba de futuro* verloben. Denn, wie man sich verlobet, so lautets *per uerba de praesenti*, und sonderlich weiß der Pöbel von solcher behenden *Grammatic* nichts, daß *accipio*, und *accipiam*, zweyerley sey. Er fährt daher nach dieser Sprache fort, und spricht, ich will dich haben, du sollt meine seyn, 2c. da ist iezt die Stunde Ja gesagt, ohne weitern Aufzug und Bedencken. In sequentibus deinde subiicit, admitti posse memoratam diuisionem spon-

ſponſaliorum, ſi de praeſenti dicantur, quae pure, & ſine ulla conditione, ſunt contracta, de futuro autem, quae in diem, uel ſub conditione, inita ſunt.

§. X. Itaque *B. Lutherus* diuiſionem quidem ſponſaliorum, in ſponſalia de praeſenti, & de futuro, Jure Canonico, inuentam, retinuit, ſed, aliter explicandam eſſe, cenſuit. Cuius definitiones, qui intuetur, facile intelligit, ſponſalia de praeſenti, prout ab eo deſcribuntur, iuxta Jus Canonicum, eſſe de futuro. Haec enim, uel pura, uel conditionata eſſe, ſuperius dictum.

§. XI. Definitiones Lutheri, ſucceſſu temporis, Theologi pariter, & JCti Proteſtantes, receperunt quidem, iisdemque hodienum communiter utuntur; ſed in applicatione non mediocrem errorem; ne dicam confuſionem, introduxerunt, dum ea, quae Jus Pontificium, de ſuis ſponſalibus de praeſenti, quae ſunt uerum matrimonium, tradit, ad noſtra ſponſalia de praeſenti, quae, illo Jure, de futuro ſunt, applicarunt.

§. XII. Jure Canonico igitur eulogia, ſeu benedictio ſacra, eſt mera ſolennitas externa, quae ad formam, & eſſentiam coniugii, nequaquam pertinet, ſed a paciſcentium uoluntate, & formula conuentionis, depen-

dependet, utrum ſtatim uerum, & indiſſolubile, matrimonium, an uero nuda ſponſalia, inire cupiant. Sed in Concilio Tridentino, *Seſſ. XXIV. c. 1.* inualida declarata ſunt matrimonia, ſine Parocho & teſtibus, h. e. copula ſacerdotali, contracta. Quamobrem hodie, inter Romano-Catholicos, ſine dubio, memorata copula, de eſſentia coniugii eſt, neque adeo amplius ſponſalia de praeſenti, in ſenſu Juris Can. agnoſcunt.

§. XIII. Neque uero aliud, de Proteſtantibus, dicendum puto. Quamuis enim, neque autoritatem Concilii Tridentini admittant, nec uniuerſali lege publica cautum ſit, quod copula ſacerdotalis, ad eſſentiam matrimonii, pertinere debeat, idemque nec Jure Diuino praecipiatur, moribus tamen, & conſuetudine generali, inualuit, ut non prius matrimonium contractum intelligatur, quam ſi benedictio ſacerdotalis acceſſerit, adeoque conſenſus non alius, pro matrimoniali, habetur, quam qui publice, in facie Eccleſiae, coram parocho, eſt declaratus. Quod qui negant, experientiam quotidianam, & ſtylum, in Conſiſtoriis receptum, uel ignorant, uel eidem temere contradicunt.

§. XIV.

§. XIV. Hinc publica quoque ſponſalia, concubitu licet firmata, propter inimicitiam irreconciliabilem, accedente inprimis utriusque partis conſenſu, quotidie rumpi atque diſſolui ſolent. Vt hinc fallantur omnino, quicunque putant, talia ſponſalia, propter concubitum, hodieque in matrimonium tranſire. Hoc enim, nonniſi ob adulterium, & malitioſam deſertionem, diſſolui poteſt. Nam etſi ex concubitu, cum perſona, cui quis fidem, de coniugio, dedit, non tam fornicatio, quam conſenſus matrimonialis, praeſumatur. *c. 15. & 30. X. d. Sponſal. c. 6. X. d. Condit. appoſ.* is tamen defectum ſacerdotalis copulae, ceu requiſiti eſſentialis, hodie ſupplere nequit. Nec obſtat, quod Jus Diuinum, huiusmodi copulam, nequaquam exigat. Certum enim, expeditumque eſt, poſſe, per legem, uel conſuetudinem, effici, ut eſſentiam negotii tale quid ingrediatur, quod Jure Naturali, atque Diuino poſitiuo, neceſſarium haud eſt.

§. XV. Igitur hodie ſponſalia de praeſenti dicuntur, quibus matrimonium futurum, pure & ſimpliciter, promittitur, ſponſalia de futuro autem, quibus dies, uel conditio, adiicitur. Quae ad tempus, uel euentum, expectandum, obligant perinde, ut a-

liae conuentiones in diem, uel ſub conditione initae. Fieri etiam poteſt, ut, ab una parte, promiſſio coniugii pure, ab altera uero in diem, aut ſub conditione, fiat; cui ſi haec renunciet, altera pars, ad matrimonium conſummandum, ſimpliciter adigi poteſt, iuxta uulgatam regulam, quod quisque fauori ſuo libere renunciare queat. *L. 29. C. d. pact.*

§. XVI. Adiici poteſt ſponſalibus, non autem matrimonio, hoc enim conditionale eſſe nequit, quaecunque conditio poſſibilis, ſiue ſit ſuſpenſiua, u. g. de certa dote inferenda, *c. 3. X. d. condit. appoſ.* ſiue reſolutiua, qualis eſt Lex Commiſſoria, ut u. g. dote intra certum tempus haud ſoluta, ſponſalia nulla cenſeri debeant.

§. XVII. Idem de pacto addictionis in diem, u. g. ducam te uxorem, ea lege, ut, oblata mihi, intra annum, meliore conditione, ſponſalia pro infectis habeantur, dicendum putat *Nob. Dn. de Berger, in Oecon. Jur. p. 94.* de quo tamen ego, aliter ſentiendum, exiſtimo. Quid enim ſit melior conditio, nemo hic aeſtimare poteſt, niſi is, cui oblata; in cuius poteſtate ſemper futurum eſt, ſponſalia hoc obtentu rumpere. Secus eſt in contractu emtionis uenditionis, ubi de precio, in certa pecunia conſiſtente, agitur. Sed

alia

alia ſponſa, uel ſponſus, ex multiplici capite, melior cenſeri poteſt. Et quid prohibet, quo minus, alia cauſa deficiente, uulgatum illud in ſubſidium uocetur; Non amo te, Voluſi, &c? Quamobrem, ſine poena, dimittendos non putem, qui ſponſalia, per modum addictionis in diem, non ſine ſcandalo, & temere, celebrant.

§. XVIII. De impoſſibili conditione uulgo tradi ſolet, quod ea, ſponſalibus addita, pro non adiecta habeatur, niſi contra ipſam matrimonii ſubſtantiam pugnet; eoque fine allegari conſueuit *c. ult. X. d. condit. appoſ.* Qui textus tamen, de ipſo matrimonio potius, & modo, ſeu conditione reſolutiua, loquitur; Vid. *Boehmer. in Jur. Eccl. Proteſt. L. IV. t. 6. §. 7. ſeqq.* & hodie, ne quidem in ipſo matrimonio, locum habere poteſt. Quia conſenſus matrimonialis, coram Parocho, & teſtibus, pure & ſine ulla conditione, declarari debet.

§. XIX. Quamobrem ex principiis Juris Naturalis, atque Diuini, ſimpliciter dicendum, quod ſponſalia perinde, ut aliae conuentiones, per conditionem impoſſibilem adiectam, propter defectum ueri conſenſus, uitientur. Vid. *L. 31. ff. d. O. & A.* E. ſibi altera pars imputet, quod talem conditionem admiſerit, quam reiicere, eidemque

contradicere, in procliui fuerat. Quod, cum in ultimis uoluntatibus fieri haud possit, impossibilis conditio merito, in illis, pro non adiecta habetur. *L. 14. ff. d. condit. instit.* Neque fauor matrimonii tantum efficere potest, ut, qui uere non consensit, pro consentiente habeatur. Plane, si seria intentio, negotium contrahendi, ex circumstantiis, liquido appareat, nec sponsalia, nec alium contractum, adiectione conditionis impossibilis, uitiari puto; semper enim, quid reuera actum sit, spectari oportet.

§. XX. Praeterea diuiduntur sponsalia, in publica, & clandestina. Illa Jure Ciu. atque Can. audiunt, quae cum consensu parentum, quamuis absentes fuerint, contracta sunt: clandestina autem, ubi parentum consensus deficit. Vtroque enim hoc iure, testes non ad formam, sed tantum ad probationem, sponsaliorum requiruntur? adeo, ut probatio aliter quoque, quam per testes, u.g. documenta, fieri possit. *L. 4. pr. L. 7. pr. d. Sponſ. c. 2. X. d. clandeſt. deſponſ.* Hodie, in Saxonia, & alibi passim, eo casu, ubi, uterque parens, ex parte sponsi pariter, & sponsae, non amplius in uiuis sunt, testium praesentia omnino opus est; alias sponsalia clandestina censentur, & ipso iure

nulla

nulla ſunt, etſi de illis, ex utriusque partis confeſſione, conſtet. Vid. *Ordin. Eccl. Sax. tit.* Von Ehe-Gelöbnissen, ibi: Wo auch zwo Personen, so, *NB.* beyderseits keine Eltern haben. Quod Jus prouinciale, cum a Jure Communi recedat, ſtrictiſſime intelligi, atque adeo, ad ſponſalia, inter praeſentes celebrata, reſtringi debet. Vnde conſequitur, cum ſponſalia literis ineuntur, opus haud eſſe, ut teſtes iisdem ſubſcribant. Add. *Nob. Dn. de Berger, in Reſol. ad Lauterb. tit. de Sponſal. p. 524.*

§. XXI. Quod ſi ad ſponſalia clandeſtina concubitus acceſſerit, ab eo tempore, pro publicis habentur, neque parentum diſſenſus amplius attendi debet. Quod tamen capiendum, de fauore ſolius ſponſae; quippe quae ad hunc, ſpe matrimonii, inducta cenſetur; non uero ſponſi, qui nullum exinde jus agendi conſequitur. In uniuerſum autem haec hypotheſis, magis uſu fori, quam principiis iuris, ſuſtinetur. Neque enim ſolida ratio reddi poteſt, cur ſponſalia clandeſtina, quae illicita ſunt, per concubitum, ceu nouum delictum, robur accipere, & ſic parentibus ius ſuum auferri debeat.

§. XXII. Sponſalia contrahunt omnes, qui non prohibentur, etiam impuberes. Ubi tamen ſemper tacita conditio ſubintelligitur,

gitur, modo puberes facti, ab illis recedere nolint. *t. t. de Sponſ. impub.* Adeoque talia ſponſalia reuera nudorum tractatuum inſtar habent, omnique ui obligandi deſtituuntur.

§. XXIII. Prohibentur, ſponſalia inire, perſonae, in gradu prohibito conſanguinitatis, uel affinitatis, conſtitutae. Prius agendum de Conſanguinitate, deinde de Affinitate. Conſanguinitas, die Bluts-Freundſchafft, deſcribi ſolet, quod ſit coniunctio, ſeu uinculum perſonarum, ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. Eſtque uel uera, quae modo definita eſt, uel ficta. Haec rurſus uel Ciuilis, quae u. g. ex adoptione oritur, uel ſpiritualis, qualis inter ſuſceptorem, eiusque filium, & ſuſceptam in Baptiſmo, fingitur. *t. t. X. d. Cognat. ſpirit.* Add. *L. 26. C. d. nupt.* Vtraque hodie, inter Proteſtantes, nuptiis impedimento haud eſt; niſi alicubi aliud ſpeciatim conſtitutum, aut uſu introductum ſit, quod de Ducatu Brunſuicenſi, & Luneburgenſi, teſtatur *Habn. ad Weſemb. tit. de Nupt. n. 4.*

§. XXIV. Vera Conſanguinitas eſt, uel legitima, uel illegitima. Illa ex iuſto matrimonio, haec ex concubitu illicito, oritur. Vtraque, in nuptiis impediendis, eundem effectum habet. §. XXV.

§. XXV. Vera, eademque legitima, Consanguinitas, uel contrahitur, per uirilis sexus personas, diciturque Agnatio, Saxonibus, die Schwerdt-Magenschafft, uel per feminini sexus personas, & appellatur Cognatio in specie, apud Saxones, die Spill-Magenschafft. Indeque agnati audiunt, die Schwerdt-Magen, cognati uero, die Spill-Magen.

§. XXVI. In computandis gradibus, inprimis attendi debet, linearum diuersitas. Linea nihil aliud est, quam series plurium personarum, & graduum. Gradus est transitus, de proximo in proximum, & indicatur per lineolam rectam, sicuti persona per circulum, & matrimonium, per lineolam curuam.

§. XXVII. Diuiditur linea in rectam, & collateralem, seu transuersam. In illa constitutae sunt personae, quae ab inuicem generatae sunt, in hac uero personae, quarum una alteram haud genuit, sed tamen a communi eodemque proximo stipite descendunt.

§. XXVIII. Linea recta, die gerade Linie, est uel ascendens, uel descendens. Illa continet personas, a quibus generati sumus, patrem, auum, proauum, abauum, atauum, tritauum. Ceteri, qui longius absunt, generali nomine Maiorum ueniunt. Linea

recta descendens continet personas, a nobis generatas, filium, nepotem, pronepotem, abnepotem, atnepotem, trinepotem; reliqui in genere Posteri appellantur.

§. XXIX. Linea transuersa, seu obliqua, die Seiten-Linie, est uel aequalis, uel inaequalis. In illa sunt personae, quae a communi stipite aequaliter distant, in hac uero illae, quae ab eodem inaequaliter absunt. Communis stipes dicitur, qui proximus communis parens est earum personarum, de quarum cognatione quaeritur.

§. XXX. Ceterum, in schemate formando, id obseruandum, ut ab una personarum, de quibus quaestio est, initio facto, ascendatur, omnibus intermediis personis expressis, ad stipitem communem, indeque, eodem modo, ad alteram personam, descendatur.

§. XXXI. Computatio graduum, alia est Juris Ciuilis, alia Juris Canonici. Illa continetur unica hac regula: Quot sunt generationes inter personas, quarum coniunctio inuestigatur, tot sunt gradus. Atque adeo, in linea obliqua, ab una persona ascenditur, ad stipitem communem, indeque ad alteram descenditur, & omnes intermediae generationes connumerantur.

§. XXXII.

§. XXXII. Computatio graduum, iuxta Jus Canonicum, aliter fit in linea recta, aliter in collaterali. In recta utitur hac regula: Quot ſunt perſonae, tot ſunt gradus, una demta. Quae in effectu, cum Juris Ciuilis computatione, coincidit.

§. XXXIII. In linea collaterali autem, Jus Canonicum nonniſi unius lateris, & quidem, in linea inaequali, longioris rationem habet. Vnde in linea aequali hac utitur regula: Quoto gradu alterutra perſonarum, de quarum cognatione quaeritur, a communi ſtipite abeſt, eo gradu perſonae a ſe inuicem diſtant. In linea inaequali uero, illa regula: Quoto gradu remotior perſona a communi ſtipite abeſt, eo gradu perſonae inter ſe diſtant.

§. XXXIV. Haec computandi ratio, ab ea, quam Jus Ciuile ſequitur, multum differt, ſed non tam accurata eſt; cum ſic perſonae, diuerſimode ſibi iunctae, in eodem gradu reperiantur; quod omnino incongruum.

§. XXXV. Computatio Canonica hodie, etiam inter Proteſtantes, etſi ex libera receptione, in cauſis matrimonialibus, attenditur; ciuilis autem, in aliis cauſis, e. g. ſucceſſione ab inteſtato, dictione teſtimonii, cautione rati &c.

§. XXXVI. Sequitur Affinitas, quae contrahitur tantum, inter maritum, & uxoris consanguineos, & inter uxorem, atque mariti consanguineos. Igitur inter consanguineos utriusque coniugis, erga se inuicem spectatos, nulla affinitas, adeoque nec uinculum, quod matrimonium impediat, intercedit. In Saxonia Electorali tamen, prohibitae leguntur nuptiae, cum nouercae matre. Vid. *Ord. Prou. de A.1557.* Add. *Diss. Gribneri, de incestis, cum nouercae matre, nuptiis.*

§. XXXVII. Affinitatis tria sunt genera, primum, secundum, & tertium. In primo genere mihi est, qui, quaeue matrimonium, cum consanguineo meo, uel consanguinea mea, contraxit. In secundo mihi est, coniux affinis mei, primi generis. In tertio mihi est, coniux affinis mei, secundi generis. Non igitur, quot matrimonia, sed cum qua persona contracta sint, respiciendum uenit.

§. XXXVIII. In affinitate non dantur peculiares gradus, sed computantur hi, ad similitudinem consanguinitatis, iuxta unicam hanc regulam: Quoto gradu quis iungitur uni coniugum, in consanguinitate, eo gradu iungitur alteri, in affinitate. Cuius computationis fundamentum est, quod maritus

ritus, & uxor, una caro, & hinc una persona esse, censeatur. Sed & illud notandum, quod persona, per copulam carnalem, iuncta personae mihi affini, genus quidem attinentiae, non uero gradum, mutet.

§. XXXIX. Circa prohibitionem nuptiarum, diuersa iura considerari debent. Jure Naturali, in linea recta, prohibitae sunt nuptiae in infinitum, tum propter pudorem naturalem, tum quod familiaritas coniugalis, cum reuerentia, parentibus debita, stare non possit. In linea collaterali uero, hoc iure, nullum matrimonium, ne quidem inter fratres, & sorores, est interdictum. Id quod non tantum a priori, ex eo ostenditur, quod ratio prohibitionis, quae in linea recta occurrit, hic cesset, sed & a posteriori, quia, tempore protoplastorum, huius generis nuptiae contractae sunt; cum tamen Deus, contra Jus Naturae, haud dispenset. Vnde etiam illud per se patet, nuptias in linea recta, cum Juri Naturali aduersentur, omni Jure positiuo, tam Diuino, quam humano, non posse non prohibitas esse. De Jure Diuino, vid. *Leu. XVIII. 7. & 10.* De Jure Ciuili, §. *1. Inst. d. nupt. L. 14. §. 1. seqq. L. 54. ff. d. nupt.* Add. *Ord. Eccl. Sax. rubr.* von Ehe-Sachen, *tit.* Welchen Personen.

§. XL. Jus Diuinum Positiuum Vniuersale,

ſale, in ſpecie ſic dictum, ſeu uoluntarium, quale, ſine dubio, datur, prohibitioni Naturali duas alias prohibitiones addit, nempe, inter fratrem, & ſororem, nec non inter eas perſonas, inter quas parentalis reſpectus intercedit, h. e. quarum una, in linea transuerſa, immediate ſtipiti communi ſubeſt, altera uero longius ab eo recedit, in infinitum. Reliqua matrimonia omnia, in conſanguinitate, Jure Diuino, licita ſunt; adeoque humana eorum prohibitio, diſpenſationem admittit.

§. XLI. Jus Ciuile prohibitiones longius, quam Jus Diuinum, haud extendit. Igitur utroque Jure, & Diuino, & Ciuili, inter duorum fratrum, ſororumque liberos, nuptiae ſunt permiſſae, nec diſpenſatione opus.

§. XLII. Illud uero ſedulo notandum, quod, ubi, Jure Diuino, perſonae, inire nuptias, prohibentur, integer gradus, in quo illae conſtitutae ſunt, ob rationis identitatem, prohibitus eſſe, intelligatur. Sic, u. g. cum prohibentur nuptiae, *Leu. XVIII. 12, ſeqq.* cum amita & matertera, interdictae cenſentur cum patruo & anunculo; quia idem reſpectus, & gradus, adeſt.

§. XLIII. Jure Canonico, prohibitio nuptiarum, ceſſante, reſpectu parentelae, usque

ad

ad quartum gradum lineae collateralis aequalis, inclusiue, se extendit. *c. 8. X. d. consang. & affinit.* Sine dubio, eo fine, ut dispensatio, ab aula Romana, eo frequentius, cum eius lucro, peti debeat.

§. XLIV. Et hanc iuris Canonici, dispositionem etiam Euangelici sequuntur; ubi peculiaria iura, qualia tamen, in plerisque prouinciis, extant, deficiunt. In Saxonia Elect. ultimus gradus prohibitus est tertius, lineae collateralis inaequalis, adeoque tertius gradus, in linea collaterali aequali, est primus permissus; ubi nulla dispensatione opus; idemque pluribus aliis Ordinationibus, Magdeburgica, Altenburgica, Anhaltina, Luneburgensi, & Brunsuicensi, cautum. Sed in Marchia Brandenburgica, tertius gradus in linea collaterali, tam aequali, quam inaequali, prohibetur. Vid. *B. Horn. in app. annot. ad Schilc. Jus Can. §. 53. p. 458. seq.*

§. XLV. In Affinitate, sicut gradus ad similitudinem consanguinitatis computantur, ita etiam se res, cum nuptiarum prohibitione, habet. Quamobrem unica haec regula obseruanda, quae tam Juris Diuini, quam humani est: Quoto gradu matrimonia, in consanguinitate, interdicta sunt, eo gradu etiam in affinitate prohibita intelligun-

dependet, utrum ſtatim uerum, & indiſſolubile, matrimonium, an uero nuda ſponſalia, inire cupiant. Sed in Concilio Tridentino, *Seſſ. XXIV. c. 1.* inualida declarata ſunt matrimonia, ſine Parocho & teſtibus, h. e. copula ſacerdotali, contracta. Quamobrem hodie, inter Romano-Catholicos, ſine dubio, memorata copula, de eſſentia coniugii eſt, neque adeo amplius ſponſalia de praeſenti, in ſenſu Juris Can. agnoſcunt.

§. XIII. Neque uero aliud, de Proteſtantibus, dicendum puto. Quamuis enim, neque autoritatem Concilii Tridentini admittant, nec uniuerſali lege publica cautum ſit, quod copula ſacerdotalis, ad eſſentiam matrimonii, pertinere debeat, idemque nec Jure Diuino praecipiatur, moribus tamen, & conſuetudine generali, inualuit, ut non prius matrimonium contractum intelligatur, quam ſi benedictio ſacerdotalis acceſſerit, adeoque conſenſus non alius, pro matrimoniali, habetur, quam qui publice, in facie Eccleſiae, coram parocho, eſt declaratus. Quod qui negant, experientiam quotidianam, & ſtylum, in Conſiſtoriis receptum, uel ignorant, uel eidem temere contradicunt.

§. XIV.

§. XIV. Hinc publica quoque ſponſalia, concubitu licet firmata; propter inimicitiam irreconciliabilem, accedente inprimis utriusque partis conſenſu; quotidie rumpi atque diſſolui ſolent. Vt hinc fallantur omnino, quicunque putant, talia ſponſalia, propter concubitum, hodieque in matrimonium tranſire. Hoc enim, nonniſi ob adulterium, & malitioſam deſertionem, diſſolui poteſt. Nam etſi ex concubitu, cum perſona, cui quis fidem, de coniugio, dedit, non tam fornicatio, quam conſenſus matrimonialis, praeſumatur. *c. 15. & 30. X. d. Sponſal. c. 6. X. d. Condit. appoſ.* is tamen defectum ſacerdotalis copulae, ceu requiſiti eſſentialis, hodie ſupplere nequit. Nec obſtat, quod Jus Diuinum, huiusmodi copulam, nequaquam exigat. Certum enim, expeditumque eſt, poſſe, per legem, uel conſuetudinem, effici, ut eſſentiam negotii tale quid ingrediatur, quod Jure Naturali, atque Diuino poſitiuo, neceſſarium haud eſt.

§. XV. Igitur hodie ſponſalia de praeſenti dicuntur, quibus matrimonium futurum, pure & ſimpliciter, promittitur, ſponſalia de futuro autem, quibus dies, uel conditio, adiicitur. Quae ad tempus, uel euentum, expectandum, obligant perinde, ut a-

 lia-

liae conuentiones in diem, uel ſub conditione initae. Fieri etiam poteſt, ut, ab una parte, promiſſio coniugii pure, ab altera uero in diem, aut ſub conditione, fiat; cui ſi haec renunciet, altera pars, ad matrimonium conſummandum, ſimpliciter adigi poteſt, iuxta uulgatam regulam, quod quisque fauori ſuo libere renunciare queat. *L. 29. C. d. pact.*

§. XVI. Adiici poteſt ſponſalibus, non autem matrimonio, hoc enim conditionale eſſe nequit, quaecunque conditio poſſibilis, ſiue ſit ſuſpenſiua, u. g. de certa dote inferenda, *c. 3. X. d. condit. appoſ.* ſiue reſolutiua, qualis eſt Lex Commiſſoria, ut u. g. dote intra certum tempus haud ſoluta, ſponſalia nulla cenſeri debeant.

§. XVII. Idem de pacto addictionis in diem, u. g. ducam te uxorem, ea lege, ut, oblata mihi, intra annum, meliore conditione, ſponſalia pro infectis habeantur, dicendum putat *Nob. Dn. de Berger, in Oecon. Jur. p. 94.* de quo tamen ego, aliter ſentiendum, exiſtimo. Quid enim ſit melior conditio, nemo hic aeſtimare poteſt, niſi is, cui oblata; in cuius poteſtate ſemper futurum eſt, ſponſalia hoc obtentu rumpere. Secus eſt in contractu emtionis uenditionis, ubi de pretio, in certa pecunia conſiſtente, agitur. Sed

alia

alia sponsa, uel sponsus, ex multiplici capite, melior censeri potest. Et quid prohibet, quo minus, alia causa deficiente, uulgatum illud in subsidium uocetur; Non amo te, Volusi, &c? Quamobrem, sine poena, dimittendos non putem, qui sponsalia, per modum addictionis in diem, non sine scandalo, & temere, celebrant.

§. XVIII. De impossibili conditione uulgo tradi solet, quod ea, sponsalibus addita, pro non adiecta habeatur, nisi contra ipsam matrimonii substantiam pugnet; eoque fine allegari consueuit *c. ult. X. d. condit. appos.* Qui textus tamen, de ipso matrimonio potius, & modo, seu conditione resolutiua, loquitur; Vid. *Boehmer. in Jur. Eccl. Protest. L. IV. t. 6. §. 7. seqq.* & hodie, ne quidem in ipso matrimonio, locum habere potest. Quia consensus matrimonialis, coram Parocho, & testibus, pure & sine ulla conditione, declarari debet.

§. XIX. Quamobrem ex principiis Juris Naturalis, atque Diuini, simpliciter dicendum, quod sponsalia perinde, ut aliae conuentiones, per conditionem impossibilem adiectam, propter defectum ueri consensus, uitientur. Vid. *L. 31. ff. d. O. & A.* E. sibi altera pars imputet, quod talem conditionem admiserit, quam reiicere, eidemque

contradicere, in procliui fuerat. Quod, cum in ultimis uoluntatibus fieri haud possit, impossibilis conditio merito, in illis, pro non adiecta habetur. *L. 14. ff. d. condit. instit.* Neque fauor matrimonii tantum efficere potest, ut, qui uere non consensit, pro consentiente habeatur. Plane, si seria intentio, negotium contrahendi, ex circumstantiis, liquido appareat, nec sponsalia, nec alium contractum, adiectione conditionis impossibilis, uitiari puto; semper enim, quid reuera actum sit, spectari oportet.

§. XX. Praeterea diuiduntur sponsalia, in publica, & clandestina. Illa Jure Ciu. atque Can. audiunt, quae cum consensu parentum, quamuis absentes fuerint, contracta sunt: clandestina autem, ubi parentum consensus deficit. Vtroque enim hoc iure, testes non ad formam, sed tantum ad probationem, sponsaliorum requiruntur? adeo, ut probatio aliter quoque, quam per testes, u.g. documenta, fieri possit. *L. 4. pr. L. 7. pr. d. Sponſ. c. 2. X. d. clandeſt. deſponſ.* Hodie, in Saxonia, & alibi passim, eo casu, ubi, uterque parens, ex parte sponsi pariter, & sponsae, non amplius in uiuis sunt, testium praesentia omnino opus est; alias sponsalia clandestina censentur, & ipso iure nulla

nulla ſunt, etſi de illis, ex utriusque partis confeſſione, conſtet. Vid. *Ordin. Eccl. Sax. tit.* Von Ehe-Gelöbnissen, ibi: Wo auch zwo Personen, so, *NB.* beyderseits keine Eltern haben. Quod Jus prouinciale, cum a Jure Communi recedat, ſtrictiſſime intelligi, atque adeo, ad ſponſalia, inter praeſentes celebrata, reſtringi debet. Vnde conſequitur, cum ſponſalia literis ineuntur, opus haud eſſe, ut teſtes iisdem ſubſcribant. Add. *Nob. Dn. de Berger, in Reſol. ad Lauterb. tit. de Sponſal. p. 524.*

§. XXI. Quod ſi ad ſponſalia clandeſtina concubitus acceſſerit, ab eo tempore, pro publicis habentur, neque parentum diſſenſus amplius attendi debet. Quod tamen capiendum, de fauore ſolius ſponſae; quippe quae ad hunc, ſpe matrimonii, inducta cenſetur; non uero ſponſi, qui nullum exinde ius agendi conſequitur. In uniuerſum autem haec hypotheſis, magis uſu fori, quam principiis iuris, ſuſtinetur. Neque enim ſolida ratio reddi poteſt, cur ſponſalia clandeſtina, quae illicita ſunt, per concubitum, ceu nouum delictum, robur accipere, & ſic parentibus ius ſuum auferri debeat.

§. XXII. Sponſalia contrahunt omnes, qui non prohibentur, etiam impuberes. Ubi tamen ſemper tacita conditio ſubintelligitur,

gitur, modo puberes facti, ab illis recedere nolint. *t. t. de Sponſ. impub.* Adeoque talia ſponſalia reuera nudorum tractatuum inſtar habent, omnique ui obligandi deſtituuntur.

§. XXIII. Prohibentur, ſponſalia inire, perſonae, in gradu prohibito conſanguinitatis, uel affinitatis, conſtitutae. Prius agendum de Conſanguinitate, deinde de Affinitate. Conſanguinitas, die Bluts-Freundſchafft, deſcribi ſolet, quod ſit coniunctio, ſeu uinculum perſonarum, ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. Eſtque uel uera, quae modo definita eſt, uel ficta. Haec rurſus uel Ciuilis, quae u. g. ex adoptione oritur, uel ſpiritualis, qualis inter ſuſceptorem, eiusque filium, & ſuſceptam in Baptiſmo, fingitur. *t. t. X. d. Cognat. ſpirit.* Add. *L. 26. C. d. nupt.* Vtraque hodie, inter Proteſtantes, nuptiis impedimento haud eſt; niſi alicubi aliud ſpeciatim conſtitutum, aut uſu introductum ſit, quod de Ducatu Brunſuicenſi, & Luneburgenſi, teſtatur *Habn. ad Weſemb. tit. de Nupt. n. 4.*

§. XXIV. Vera Conſanguinitas eſt, uel legitima, uel illegitima. Illa ex iuſto matrimonio, haec ex concubitu illicito, oritur. Vtraque, in nuptiis impediendis, eundem effectum habet. §. XXV.

§. XXV. Vera, eademque legitima, Consanguinitas, uel contrahitur, per uirilis sexus personas, diciturque Agnatio, Saxonibus, die Schwerdt-Magenschafft, uel per feminini sexus personas, & appellatur Cognatio in specie, apud Saxones, die Spill-Magenschafft. Indeque agnati audiunt, die Schwerdt-Magen, cognati uero, die Spill-Magen.

§. XXVI. In computandis gradibus, inprimis attendi debet, linearum diuersitas. Linea nihil aliud est, quam series plurium personarum, & graduum. Gradus est transitus, de proximo in proximum, & indicatur per lineolam rectam, sicuti persona per circulum, & matrimonium, per lineolam curuam.

§. XXVII. Diuiditur linea in rectam, & collateralem, seu transuersam. In illa constitutae sunt personae, quae ab inuicem generatae sunt, in hac uero personae, quarum una alteram haud genuit, sed tamen a communi eodemque proximo stipite descendunt.

§. XXVIII. Linea recta, die gerade Linie, est uel ascendens, uel descendens. Illa continet personas, a quibus generati sumus, patrem, auum, proauum, abauum, atauum, tritauum. Ceteri, qui longius absunt, generali nomine Maiorum ueniunt. Linea

recta descendens continet personas, a nobis generatas, filium, nepotem, pronepotem, abnepotem, atnepotem, trinepotem; reliqui in genere Posteri appellantur.

§. XXIX. Linea transuersa, seu obliqua, die Seiten-Linie, est uel aequalis, uel inaequalis. In illa sunt personae, quae a communi stipite aequaliter distant, in hac uero illae, quae ab eodem inaequaliter absunt. Communis stipes dicitur, qui proximus communis parens est earum personarum, de quarum cognatione quaeritur.

§. XXX. Ceterum, in schemate formando, id obseruandum, ut ab una personarum, de quibus quaestio est, initio facto, ascendatur, omnibus intermediis personis expressis, ad stipitem communem, indeque, eodem modo, ad alteram personam, descendatur.

§. XXXI. Computatio graduum, alia est Juris Ciuilis, alia Juris Canonici. Illa continetur unica hac regula: Quot sunt generationes inter personas, quarum coniunctio inuestigatur, tot sunt gradus. Atque adeo, in linea obliqua, ab una persona ascenditur, ad stipitem communem, indeque ad alteram descenditur, & omnes intermediae generationes connumerantur.

§. XXXII.

§. XXXII. Computatio graduum, iuxta Jus Canonicum, aliter fit in linea recta, aliter in collaterali. In recta utitur hac regula: Quot sunt personae, tot sunt gradus, una demta. Quae in effectu, cum Juris Ciuilis computatione, coincidit.

§. XXXIII. In linea collaterali autem, Jus Canonicum nonnisi unius lateris, & quidem, in linea inaequali, longioris rationem habet. Vnde in linea aequali hac utitur regula: Quoto gradu alterutra personarum, de quarum cognatione quaeritur, a communi stipite abest, eo gradu personae a se inuicem distant. In linea inaequali uero, illa regula: Quoto gradu remotior persona a communi stipite abest, eo gradu personae inter se distant.

§. XXXIV. Haec computandi ratio, ab ea, quam Jus Ciuile sequitur, multum differt, sed non tam accurata est; cum sic personae, diuersimode sibi iunctae, in eodem gradu reperiantur; quod omnino incongruum.

§. XXXV. Computatio Canonica hodie, etiam inter Protestantes, etsi ex libera receptione, in causis matrimonialibus, attenditur; ciuilis autem, in aliis causis, e. g. successione ab intestato, dictione testimonii, cautione rati &c.

§ XXXVI. Sequitur Affinitas, quae contrahitur tantum, inter maritum, & uxoris consanguineos, & inter uxorem, atque mariti consanguineos. Igitur inter consanguineos utriusque coniugis, erga se inuicem spectatos, nulla affinitas, adeoque nec uinculum, quod matrimonium impediat, intercedit. In Saxonia Electorali tamen, prohibitae leguntur nuptiae, cum nouercae matre. Vid. *Ord. Prou. de A. 1557.* Add. *Diss. Gribneri, de incestis, cum nouercae matre, nuptiis.*

§. XXXVII. Affinitatis tria sunt genera, primum, secundum, & tertium. In primo genere mihi est, qui, quaeue matrimonium, cum consanguineo meo, uel consanguinea mea, contraxit. In secundo mihi est, coniux affinis mei, primi generis. In tertio mihi est, coniux affinis mei, secundi generis. Non igitur, quot matrimonia, sed cum qua persona contracta sint, respiciendum uenit.

§. XXXVIII. In affinitate non dantur peculiares gradus, sed computantur hi, ad similitudinem consanguinitatis, iuxta unicam hanc regulam: Quoto gradu quis iungitur uni coniugum, in consanguinitate, eo gradu iungitur alteri, in affinitate. Cuius computationis fundamentum est, quod maritus

ritus, & uxor, una caro, & hinc una perſona eſſe, cenſeatur. Sed & illud notandum, quod perſona, per copulam carnalem, iuncta perſonae mihi affini, genus quidem attinentiae, non uero gradum, mutet.

§. XXXIX. Circa prohibitionem nuptiarum, diuerſa iura conſiderari debent. Jure Naturali, in linea recta, prohibitae ſunt nuptiae in infinitum, tum propter pudorem naturalem, tum quod familiaritas coniugalis, cum reuerentia, parentibus debita, ſtare non poſſit. In linea collaterali uero, hoc iure, nullum matrimonium, ne quidem inter fratres, & ſorores, eſt interdictum. Id quod non tantum a priori, ex eo oſtenditur, quod ratio prohibitionis, quae in linea recta occurrit, hic ceſſet, ſed & a poſteriori, quia, tempore protoplaſtorum, huius generis nuptiae contractae ſunt; cum tamen Deus, contra Jus Naturae, haud diſpenſet. Vnde etiam illud per ſe patet, nuptias in linea recta, cum Juri Naturali aduerſentur, omni Jure poſitiuo, tam Diuino, quam humano, non poſſe non prohibitas eſſe. De Jure Diuino, vid. *Leu. XVIII. 7. & 10.* De Jure Ciuili, §. *1. Inſt. d. nupt. L. 14. §. 1. ſeqq. L. 54. ff. d. nupt.* Add. *Ord. Eccl. Sax. rubr.* von Ehe-Sachen, *tit.* Welchen Perſonen.

§. XL. Jus Diuinum Poſitiuum Vniuerſale,

ſale, in ſpecie ſic dictum, ſeu uoluntarium, quale, ſine dubio, datur, prohibitioni Naturali duas alias prohibitiones addit, nempe, inter fratrem, & ſororem, nec non inter eas perſonas, inter quas parentalis reſpectus intercedit, h. e. quarum una, in linea transuerſa, immediate ſtipiti communi ſubeſt, altera uero longius ab eo recedit, in infinitum. Reliqua matrimonia omnia, in conſanguinitate, Jure Diuino, licita ſunt, adeoque humana eorum prohibitio, diſpenſationem admittit.

§. XLI. Jus Ciuile prohibitiones longius, quam Jus Diuinum, haud extendit. Igitur utroque Jure, & Diuino, & Ciuili, inter duorum fratrum, ſororumque liberos, nuptiae ſunt permiſſae, nec diſpenſatione opus.

§. XLII. Illud uero ſedulo notandum, quod, ubi, Jure Diuino, perſonae, inire nuptias, prohibentur, integer gradus, in quo illae conſtitutae ſunt, ob rationis identitatem, prohibitus eſſe, intelligatur. Sic, u. g. cum prohibentur nuptiae, *Leu. XVIII. 12, ſeqq.* cum amita & matertera, interdictae cenſentur cum patruo & anunculo; quia idem reſpectus, & gradus, adeſt.

§. XLIII. Jure Canonico, prohibitio nuptiarum, ceſſante, reſpectu parentelae, usque ad

ad quartum gradum lineae collateralis aequalis, inclusiue, se extendit. *c. 8. X. d. consang. & affinit*. Sine dubio, eo fine, ut dispensatio, ab aula Romana, eo frequentius, cum eius lucro, peti debeat.

§. XLIV. Et hanc iuris Canonici, dispositionem etiam Euangelici sequuntur; ubi peculiaria iura, qualia tamen, in plerisque prouinciis, extant, deficiunt. In Saxonia Elect. ultimus gradus prohibitus est tertius, lineae collateralis inaequalis, adeoque tertius gradus, in linea collaterali aequali, est primus permissus; ubi nulla dispensatione opus; idemque pluribus aliis Ordinationibus, Magdeburgica, Altenburgica, Anhaltina, Luneburgensi, & Brunsuicensi, cautum. Sed in Marchia Brandenburgica, tertius gradus in linea collaterali, tam aequali, quam inaequali, prohibetur. Vid. *B. Horn. in app. annot. ad Schilc. Jus Can. §. 53. p. 458. seq.*

§. XLV. In Affinitate, sicut gradus ad similitudinem consanguinitatis computantur, ita etiam se res, cum nuptiarum prohibitione, habet. Quamobrem unica haec regula obseruanda, quae tam Juris Diuini, quam humani est: Quoto gradu matrimonia, in consanguinitate, interdicta sunt, eo gradu etiam in affinitate prohibita intelligun-

gun-

ne praeſcitu Conſiſtorii, apud Saxones, haud permitti, cum *Carpzouio in Jprud. Conſiſt. L. II. def. 102.* moneat *B. Horn. l. c. §. 60. p. 462.*

§. XLIX. Matrimonium, Jure Diuino, prohibitum, ſi de facto contractum ſit, cum perpetuam reiterationem inceſtus contineat, pro nullo declarari debet. Secus eſt in gradibus, iure humano prohibitis, ubi tantum poena coniugibus dictatur.

§. L. Diſpenſatio, circa prohibitiones diuinas, locum non habet. Circa humanas uero fit, a ſumma poteſtate Eccleſiaſtica, adeoque, inter Proteſtantes, a Principe.

§. LI. Forma ſponſaliorum, conſiſtit in conſenſu ſponſalitio contrahentium, accedente parentum, ſi in uiuis ſint, conſenſu, aut, ſi utrinque ſint mortui, praeſentibus, iuxta Jus Saxonicum, duobus teſtibus.

§. LII. Declarant uero paciſcentes conſenſum, uel expreſſe, uel tacite. Verba, quae conſenſum, explicant, in tanti momenti negotio, debent eſſe clara, atque perſpicua, non ambigua & uaga; quae tamen, inprimis ſi concubitus acceſſerit, non prorſus negligenda ſunt, ſed aliquando iuramento purgationis locum faciunt.

§. LIII. Tacitus conſenſus elicitur ex facto, u.g. annuli datione, quae tamen ſola, niſi

nisi tractatio sponsalitia praecesserit, haud sufficit.

§. LIV. Idem tacitus consensus, a quibusdam, praesumitur ex osculo, quod tamen inepte probant, ex *L. 16. C. d. donat. ant. nupt.* Quamobrem solum osculum, inprimis hodie, nequaquam sufficit, nisi aliae circumstantiae, consensum sponsalitium declarantes, concurrant. Sicuti etiam solus concubitus, eundem haud infert; adeo, ut ne quidem locum iuramento purgatorio, intuitu promissionis matrimonii, faciat. Vid. *Decis. Elect. Sax. 81.*

§. LV. Consensum excludit, adeoque sponsalia efficit nulla, 1) dolus, si modo causam sponsalibus dederit, ita, ut haec, si citra eundem fuisset, non essent contracta. Alias uero nihil interest, siue circa substantiam, siue accidentia matrimonii, commissus fuerit, u. g. circa statum, aut diuitias, item, an alteruter contrahentium, an tertius dolo suo, alterum, ad ineunda sponsalia, induxerit. Satis est, quod talis dolus consensum impediat, sine quo ualida sponsalia haud intelliguntur.

§. LVI. 2) Metus, scil. iustus, seu qui in hominem constantem cadit. Metus igitur reuerentialis attendi non debet. *L. 22. ff. d. rit. nupt.* 3) Error, commissus, non circa acciden-

dentia, seu substantialia, i. e. quibus, licet expressa haud sint, communiter consensus primario inniti solet. Vid. *L. 15. ff. d. iurisd.* Itaque huc etiam uirginitas pertinet. 4) Ebrietas, modo extrema fuerit, quae usum rationis omnino impedit. *c. 14. X. de uita & honest. cleric.* Idem 5) de furore, atque dementia, dicendum.

§. LVII. Consensum parentum quod attinet, hi stricte intelligendi sunt, adeoque huc non pertinent illi, qui loco parentum sunt, u. g. tutores, *L. 6. C. d. Sponsal.* item curatores, *L. 8. C. d. nupt.* nisi alicubi, ut in Pomerania, aliud speciatim constitutum sit. Et, Jure quidem Ciuili, eius tantum parentis consensus necessarius est, in cuius potestate sunt liberi, adeoque, ut mater consentiat, opus haud est. Hodie uero, tam in secundis, quam primis, sponsalibus, utriusque parentis consensus, a liberis, requiri debet; ut tamen, ubi dissentiunt, pater praeualeat. Add. *L. 195. §. 2. ff. d. V. S.*

§. LVIII. Quomodo autem parentes consentiant, expresse, aut tacite, item quo tempore, utrum in ipsa desponsatione, an uero ante, uel post sponsalia, nihil interest.

§. LIX. Quod si parentes consensum, sine iusta causa, denegent, Consistorium

tandem eundem ſupplere poteſt, ſi modo liberi ſponſalia nondum inierint. Alias id ſolum, ad denegandum conſenſum, ſufficit, quod parentes neglecti fuerint. Vnde cautio pro liberis, ut ſponſalia, hac lege, ſi parentes conſenſerint, celebrent. Quo caſu tamen, pendente hac conditione, non magis tenentur, quam pupilli, ſine auctoritate tutorum, contrahentes; quod in aliis conuentionibus, ſub conditione initis, ſecus eſt.

§. LX. Quod ſponſalia, ſine conſenſu parentum inita, accedente concubitu, robur hodie, quod ad uitiatae fauorem attinet, accipiant, ſuperius monitum. In Saxonia Elect. tamen, iuxta ſpeciale Reſcriptum, quod recitat *Nob. Dn. de Berger, in Elect. Diſcept. For. in Suppl. P. II. p. 1861. ſeq.* id locum non habet, quando filius adhuc ſub patria poteſtate, & ſimul infirmae aetatis eſt, aut eius parentes feminam, de diſſenſu ſuo, tempeſtiue monuerunt, uel etiam probabilem diſſentiendi cauſam, qualis etiam magna diſparitas aetatis eſt, allegare queunt.

§. LXI. Ex ſponſalibus ualidis oritur obligatio, ad matrimonium conſummandum. Unde actio, quae ex illa deſcendit, matrimonialis dicitur. Jure Ciuili quidem, a ſpon-

ſponſalibus recedere, fas eſt, altera parte licet inuita. Vid. *L. 1. C. d. Sponſ.* Sed hodie tantum abeſt, ut una pars alteri, pro lubitu, repudium mittere queat, ut ne quidem utriusque conſenſus, ſine auctoritate iudicis Eccleſiaſtici, ad id ſufficiat. Neque enim materia ſponſaliorum, quibus ſocietas, ipſo Jure Diuino, indiſſolubilis promittitur, ad modulum aliorum contractuum, a quibus, mutuo diſſenſu, libere recedi poteſt, ita ſimpliciter, ut quidam faciunt, aeſtimari debet. Vnde in Conſiſtoriis, tali caſu, omnibus modis, pro matrimonio, & animis reconciliandis, laborandum. Quodſi autem omnis opera fruſtra fuerit, & utraque pars diſſolutionem ſponſaliorum pertinaciter urgeat, nihil impedit, quo minus, auctoritate publica, rumpantur. Quod & praxis quotidiana comprobat. Non enim ſponſalia, ſed tantum matrimonium, indiuiduam ſocietatem continent.

§. LXII. Sed & ab una parte, altera licet inuita, caſibus quibusdam, diſſolui poſſunt ſponſalia, nempe 1) ob inimicitiam irreconciliabilem, modo non ſimulata ſit, & probabiles eiusdem cauſae afferri queant. 2) Morbum contagioſum. Vid. *c. ult. X. d. coniug. lepros.* 3) Crimen grauius, u. g. fur-

tum. 4) Ob quasi adulterium, si sponsus sponsaue, post sponsalia, cum alia persona concubuerit. Nam stuprum praecedens, propter deficientem consensum, sponsalia ipso iure nulla reddit.

§. LXIII. Quod si una, ex personis desponsatis, refractaria sit, &, sine ulla probabili causa, matrimonium consummare detrectet, ad hoc regulariter adigi, &, ubi copia eius haberi potest, urgente altera parte, etiam inuita, per Sacerdotem, auctoritate Consistorii, copulari potest. Non tamen facile ad hoc extremum deueniendum est; quippe quod plerumque tristem exitum habuisse, exempla ostendunt. Quamobrem omnia prius tentanda, & grauiter monenda est pars altera, ut potius, accepta satisfactione pecuniaria, iuri suo renunciet, quam ancipitem coactae copulationis aleam, tot periculis plenam, subeat. Quodsi contumax sponsus, uel sponsa, absens sit, processu malitiosae desertionis utendum.

§. LXIV. Si duplicia sponsalia concurrant, uidendum, quaenam priora sint; haec enim posterioribus propterea anteferenda, quia ius, per illa quaesitum, alteri ab altero auferri nequit. Vnde nihil ad rem facit, si uel maxime copula carnalis, aut sacerdo-

cerdotalis, ad posteriora accesserit. Per hanc enim, quod per se illicitum est, licitum reddi nequit. Argumentum ex *L. 15. C. d. R. V.* petitum, cum de iure in re & ad rem agat, ad hoc ius personarum, ab utroque distinctum, applicari nequit.

§. LXV. Quodsi duo, de una eademque sponsa, inter se litigent, sequestratio interdum, pendente lite, decernitur, & copula, tum carnalis, tum sacerdotalis, sub certa poena, interdici solet. Contra quam inhibitionem, qui facit, ad poenam tenetur, etsi deinceps uictoriam in causa reportet.

CAPVT XIV.
DE
NVPTIIS.

§. I.

SPonsalia excipiunt nuptiae, quae & matrimonium dicuntur. Suntque nihil aliud, quam uiri & mulieris legitima coniunctio, indiuiduam uitae consuetudinem continens.

§. II. Coniunctio debet esse unius uiri & feminae. Nam polygamia est prohibita, & illa quidem, ubi mulier pluribus uiris eo-

dem tempore est nupta, graece πολυανδρία, ipso Jure Naturae, altera autem, solo iure positiuo; non tamen humano tantum, sed & diuino. *Matth. XIX. 9.* ducto argumento a minori ad maius. Nam ratio, cur adulter sit, qui, dimissa priori uxore, aliam ducit, ea est, quod uinculum, cum priori uxore, adhuc durat; atqui hoc multo magis euenit in casu, ubi quis, priori uxore retenta, aliam superinducit.

§. III. Diuiduntur nuptiae, in primas, & secundas. Quas uidua, post annum luctus, uiduus autem, post semestre spatium elapsum, contrahit. *L. 2. C. d. sec. nupt.* Quamuis forte uiduitatem, quippe quae in potestate non est, iurato promiserit. *t. t. C. d. indict. uid. toll.* Legatum tamen, sub tali conditione a coniuge relictum, ea deficiente, repetitur. *Nou. 22. c. 44.*

§. IV. Contrahunt nuptias omnes, qui non impediuntur, nec prohibentur. Impediuntur, qui facultatem generandi non habent, u. g. propter aetatem, siue nimis teneram, ut impuberes, in quibus tamen malitia aetatem supplere potest, *c. 9. X. d. desponf. impub.* siue nimis prouectam. Justinianus tamen permisit matrimonium, inter sexagenarium, & quinquagenariam,

Lege

Lege Papia Poppaea, quae id prohibuit, ſublata. *L. 27. C. de nupt.*

§. V. Ex eadem ratione a nuptiis arcentur ſpadones, & mulieres, ad copulam inhabiles. Vid. *c. 6. X. d. frigid. & malef. L. 14. §. 7. d. Aedil. Edict.* Et ex hac cauſa contractum iam matrimonium, ipſo iure, nullum eſt, ſiue impotentia abſoluta, ſiue reſpectiua fuerit. Quo intuitu, corporum inſpectio decerni, & in caſu poſteriori, iuxta ductum *c. 5. X. d. frigid. & malef.* utrique parti iusiurandum imponi ſolet. Quodſi impotentia demum ſuperueniat, coniugium haud reſcinditur; niſi ex dolo & malitia, quae deſertionis inſtar habet, profecta ſit.

§. VI. Prohibentur matrimonium inire, 1) Raptor cum rapta, *L. un. §. 1. C. d. rapt. uirg.* quod tamen, ſecundum Ius Canonicum, & mores hodiernos, permiſſum eſt. *c. ult. X. d. rapt.* 2) Adulter cum adultera, & Jure quidem Ciuili ſimpliciter, *Nou. 134. c. 12.* Jure Canonico autem, quod hic ſequimur, tum demum, ſi uel inſidias uitae prioris coniugis ſtruxerit, uel, eo adhuc uiuo, adulterae matrimonium promiſerit. *c. 6. X. de eo, qui dux. in matrim. quam adult. poll.* 3) Tutor, aut Curator, eiusque filius aut nepos, cum pupilla, atque minore. *L. 66. & 59. ff. d. rit. nupt.*

nupt. Quod tamen hodie, redditis ante sponsalia rationibus, permitti solet.

§. VII. Forma coniugii consistit in consensu matrimoniali, per copulam sacerdotalem hodie declarato. Illum enim, sine hac, moribus nostris, haud intelligi, *cap. praeced.* dictum. Neque obstat, quod per *Decis. Elect. nouiss. 49.* liberi, post sponsalia publica, nati, legitimorum numero habeantur, quo argumento, pro contraria sententia, utitur *Nob. Dn. de Berger. in Oecon. Jur. p. 115.* Is enim effectus mere Ciuilis est, in fauorem liberorum, speciali lege, introductus; qui uerum matrimonium haudquaquam supponit.

§. VIII. Non igitur ueri matrimonii rationem habet illud, quod Galli, *Mariage de conscience*, appellant; multoque minus concubinatus, ubi prorsus affectio maritalis deest, Jure Romano licitus, sed Jure diuino interdictus. Hoc enim omnem concubitum, qui fit extra matrimonium, damnat.

§. IX. Eulogiam praecedere solet Proclamatio, seu denunciatio ex suggestu, das Aufgeboth von der Cantzel, quae & banni nomine uenit. *c. 3. X. d. cland. despons.* Regulariter est trina, distinctis diebus Dominicis fieri solita, non tamen ad essentiam matrimonii

monii

monii pertinet. Unde hic dispensationi locus; qua, apud Saxones, in genere gaudent personae Illustres, & Nobiles. Vid. *Carpz. Jprud. Eccl. L. II. def. 139.* magis tamen ui consuetudinis, quam legis. Namque *Ord. Polit. d. A. 1661. tit. 16. §. 1. in fin.* quae allegari solet, non de proclamatione, sed priuata copulatione, agit.

§. X. Imo nec personae desponsatae, quae iam concubuerunt, proclamari solent; quod tamen, ut fiat, consultum, quia alius prior potius ius, quod dimittere nolit, habere potest. *B. Horn. in addit. ad Schilt. L. II. t. 11. §. 5. in fin.* Sed & in casu necessitatis, u. g. si milites in procinctu sint, proclamatio omitti potest; non tamen, nisi praeuio iuramento, daß sie sich sonst mit niemand verbündlich eingelassen, copulae sacerdotali facile locus relinqui debet. Vid. *B. Beyer. in addit. ad Carpz. L. II. def. 141.*

§. XI. Proclamatio aliter fieri non debet, quam praeuia inquisitione accurata, utrum sponsalia ualide, & concurrentibus omnibus requisitis, contracta sint. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 13.* §. Erstlich wenn. Ehe-Ordn. *punct. 5.* Inprimis uero certum exploratumque esse debet, quod personae desponsatae, ab omni alio matrimonii uinculo, solutae sint. Vnde, si praesertim peregrinae sint, aliquan-

liquando iusiurandum, der Eyd der Ledigkeit, coram Consistorio praestandum est. Idem interdum, arbitrio iudicis Ecclesiastici, ad circumstantiam consensus, uel mortis, parentum extenditur; quod tamen non facile fieri debet.

§. XII. Circa personas militares, inprimis apud Saxones, cautus sit Parochus, ne ignoret, aut negligat *Mandatum Elect. Sax. de A.* 1693. quod renouatum est, *d. 18. Mart.* 1709. ubi cautum, daß keine Verlobungen, vielweniger *Copulation*, von Wachmeister und *Sergeant*en an, biß auf den gemeinen *inclusiue*, statt finden und gültig seyn soll, es wäre denn, daß der Obriste oder *Commendant* des Regiments dem Soldaten eine ausdrückliche, *authenti*sche, und eigenhändig vollzogene Erlaubniß, zu seiner *legitimation*, gegeben hätte. Vbi nota, 1) quod, tempore sponsaliorum, consensus praefecti militaris requiratur; is igitur, qui ex postfacto superuenit, nullitatem sponsaliorum haud tollit. 2) Quod, militum nomine, hic etiam Chirurgi militares, die Feld-Scherer, ueniant. Vid. *Enunc. nostr. For. P. I. Enunc.* 149. 3) Quod ne quidem accedens copula carnalis sponsalibus huiusmodi robur addat. De quo peculiare Mandatum *d. 5. April.* 1709. emissum, quo priora illustrantur, extat.

§. XIII.

§. XIII. Fieri debet proclamatio, non tantum in loco nuptiarum, ſed etiam, ubi copulandi educati, uel hactenus morati ſunt. Vbi prae ceteris Parocho notandus eſt textus, qui habetur, *in Ord. Eccl. Sax. art. gen. 13.* ibi: So dann die neuen Ehe-Leute, ſie ſeyn jung, oder alt, welche ſich aufzubiethen begehren, nicht in einer Stadt oder einem Dorff wohnen, ſoll der Junggeſell von dem Pfarr, in des Kirch-Spiel der Jungfer Wohnung, ſo ihm verlobet iſt, ein Zeugniß nehmen an ſeinen Pfarrer, da er gebohren, oder erzogen / und ſich daſelbſt, als da er bekannt, auch aufbiethen laſſen, und deßhalben nachmahls dieſem Pfarrer ein Zeugniß von ſeinem Pfarrer bringen, ohne welches ihn der Pfarrer nicht aufbiethen, noch trauen ſoll.

§. XIV. Perficitur copula regulariter in templo. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 13.* §. Und nachdem. Excipe 1) caſum neceſſitatis, *cit. text.* Vnde, propter metum fugae, interdum in Conſiſtorio, imo & praetorio, peragitur. Vid. *Carpz. Jprud. Eccl. def. 146. ſeq.* 2) Diſpenſationis, qua Nobiles in Saxonia haud indigent. Vid. *Ord. Polit. de A. 1661. c. 16. §. 1. in fin.* Quo eodem iure Doctores etiam, & Licentiati, ui memoratae legis, ſine diſpenſatione, frui debebant; ſed contrarium uſu

usu inualuisse uidetur; de quo testatur *Beyer. in addit. ad Carpz. L. II. def. 137. fin.*

§. XV. Ius cupulandi competit Ministro Ecclesiae, ubi nuptiae instituuntur; quod regulariter fit in paroecia sponsae; cum eulogia, ante deductionem in domum mariti, fieri soleat. Igitur, ab alieno Parocho, non nisi consentiente Pastore ordinario, solutoque ipsi honorario consueto, exerceri potest. Imo ne quidem huius consensus sufficit, ut in loco tertio, a Parocho, cuius paroeciae neutra persona subest, citra necessitatis casum, copulatio fieri queat; sed insuper Consistorii autoritas requiritur. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 13.* §. Kein Pfarrer soll auch einige frembde Leute, so nicht in seine Pfarre gehören, copuliren, in Ansehen, daß viel und offtmahls allerley Unrichtigkeit hieraus erfolget. Quam legem passim, a Parochis, siue ex ignorantia, siue pecuniae cupiditate, insuper haberi, experientia ostendit.

§. XVI. Prohibentur nuptiae celebrari, tempore Aduentus Domini, & ieiunii quadragesimalis, vom ersten Aduent-Sontag an, biß nach dem Neuen Jahr, und vom Sontag Inuocauit an, biß nach Ostern. *Decret. Synod. Reuis. §. 38.* Sed & dies Dominici, & festiui, exci-

excipiuntur. *Ord. Eccl. Sax. art. gen. 13.* §. **Damit auch.** Ex iusta tamen causa, illis diebus, permitti potest, ut, finito cultu sacro, & institutione catechetica, nuptiae instituantur, *cit. text.* Sed & illud, in *Ord. Polit. de A. 1661. tit. 14. §. 16.* cautum est, ne festiuitas nuptialis, ultra tres dies, producatur, idque, sub poena decem imperialium, a coniugibus, & trium, a singulis conuiuis, praestanda. Quae poena hodienum in usu est, ut uidere licet apud *Beyerum, in addit. ad Carpz. L. II. def. 152.*

§. XVII. Formula copulae sacerdotalis, ex cuiusque loci institutis, & consuetudine recepta, dependet. Qualis apud nos in usu sit, discere licet ex *Agenda Ecclesiastica Saxonica, tit.* **von der Trauung.** *in Corp. Jur. Eccl. Sax. p. 145.* add. *Schilter. in Inst. Jur. Can. L. II. t. 11. §. 10.* ibique *B. Horn. in addit.* Vbi tamen uellem, abrogari titulorum pompam, quibus personae desponsatae, coram Deo, & facie Ecclesiae, superbire solent. Laudanda potius uerborum simplicitas, qua *B. Lutherus*, in formula citata, utitur.

§. XVIII. Effectus matrimonii, uel utrique coniugum communis est, uel alterutri proprius. Ille consistit in communione corporum, & aliquali communione bonorum, saltem ratione usus; alicubi etiam quoad

ad possessionem, ut in Saxonia, uid. Land-R. *L. I. art. 31.* Imo &, quibusdam in locis, quoad proprietatem, ut Jure Lubecensi cautum.

§. XIX. Effectus proprius, respectu mariti, est potestas in uxorem, ex ipso Jure Diuino. *Gen. III. 16. 1. Cor. XIV. 34. 1. Tim. II. 12.* Imo & Jure Naturae, nisi aliter expresse conuenerit. Cum maritus, tanquam caput familiae, merito etiam supra uxorem emineat, eidemque, suo modo, imperet. Quod genus imperii tamen ab eo, quod uel dominus in seruum, uel pater in filium, exercet, longe diuersum est, neque ad castigationem, quae fit uerberibus, extendi debet. *L. un. C. d. emendat. propinq.* Adeo, ut ne quidem alapa marito permitti soleat. Add. *Nob. Dn. de Berger. in Oecon. Jur. p. 60.* Vnde uxor non tam potestati mariti, quam affectui eius, subiecta esse dicitur, in *L. 1. §. 3. ff. d. iniur.*

§. XX. Praeterea marito competit ius in bona uxoris. Quod intelligendum, Jure Ciuili, tantum de dotalibus, quorum habet dominium; Jure Sax. etiam de paraphernalibus, scilicet quoad usumfructum; in receptiis autem, nullo iure maritus gaudet. Ceterum marito etiam per operas uxoris acquiritur, intellige officiales, seu obsequiales;

ales. Nam si peculiare artificium illa calleat, idemque suo nomine, suisque sumtibus, exerceat, per id sibi potius, quam marito, regulariter acquirit.

§. XXI. Effectus uxori proprius est, quod a marito ali, atque defendi, nec non aegrota curari, debeat. *L. 2. ff. de iniur. L. 22. §. 8. solut. matrim.* Quod eius nomen, dignitatem, & forum, sequatur, idemque etiam uidua retineat. *L. 13. C. d. dignit. L. 65. d. iudic.* Singulare est in matrimonio, ad morganaticam, seu morgengabicam, contracto, quod ibi uxor, cum liberis, non omnis, & iuris, & dignitatis, maritalis particeps fiat; de quo, ex formula pactorum, iudicium ferendum est. Vt hinc, nihil ad rem faciat, utrum dextra, an sinistra manus data sit; quamuis, utplurimum, per hanc indicari soleat. Unde uulgo, die Trauung zur lincken Hand, uocatur.

§. XXII. Ad haec iura persequenda, datur coniugi, aduersus coniugem, actio matrimonialis, quae in casu, ubi hic, se talem esse, negat, praeiudicialis est; ubi tantum de statu coniugali quaeritur, de quo ubi constat, uir, & uxor, ad officia debita, ultro citroque praestanda compelluntur.

§. XXIII. Sequitur contrarium matrimonii, scilicet diuortium. Sicuti uero illud,

pro-

propter plures causas, de quibus superius dictum, nullum est, ita uinculum coniugale, ubi semel ualide contractum, nonnisi ob duas causas, inter uiuos dissoluitur, adulterium nempe, *Matth. V. 32.* & malitiosam desertionem, *1. Cor. VII. 15.* Priori casu pars innocens facit diuortium, de quo loquitur Christus, posteriori autem patitur, de quo Apostolus.

§. XXIV. Adulterium, in causa hac Ciuili, non praecise consummatum esse debet, sed sufficit, copulam carnalem, cum alia persona, interuenisse. Talis enim concubitus, sine dubio, adulterii rationem habet. Quamuis, ubi de poena criminali agitur, ad eam mitigandam faciat, si consummatio plena haud secuta sit.

§. XXV. Cessat autem, ex hoc capite, diuortium 1) ob remissionem coniugis innocentis, siue expressam, siue tacitam, quae fieri intelligitur, per nouum concubitum coniugis, adulterium scientis. 2) Si alter coniux causam adulterio, u. g. per lenocinium, dederit. 3) Si uterque coniux adulterium commiserit. Nam hic compensationi locus; si modo prius non iam remissum fuerit.

§. XXVI. Malitiosam desertionem quod attinet, talis non intelligitur, nisi praeuia edictali citatione, & legitimo processu. Vbi uero

uero ſemel ſententia, quae, ex hoc capite, matrimonium ſoluit, lata eſt, & in rem iudicatam tranſiit, uinculum ex utraque parte ſolutum cenſetur; cum maritus & uxor correlata ſint, quorum neutrum, ſine altero, eſſe poteſt. Non igitur recipienda eorum opinio, qui tantum, intuitu partis innocentis, uinculum rumpi, nocentem uero tamdiu teneri, putant, donec innocens, cum nouo coniuge, una caro, facta ſit. Quod argumentum peculiari Diſſ. perſecutus ſum ſimulque dubia obmota dilui.

§. XXVII. Ab hac diſſolutione uinculi matrimonialis, differt Separatio, quoad thorum & menſam, die Scheidung von Tiſch und Bette, quippe quae fit, ſaluo uinculo, & locum habet, inprimis, propter ſaeuitias alterius coniugis, ad tempus, ut interim alios mores induat. Quo tempore maritus, uxorem nihiloſecius alere, tenetur; niſi eidem illata, ſi ad eam alendam ſufficiant, reſtituere malit.

§. XXVIII. Ad ultimum, de cauſis ſtupri, notandum, quod illae, ſi promiſſio matrimonii ſimul allegetur, ad cognitionem Conſiſtorii pertineant, neque tranſactio, contra matrimonium, ſine eius auctoritate, ſubſiſtat. Qua in re ſaepenumero, non

defuncti, autochiriam, ex melancholia profectam, ſimilemque, omittantur, uel ſaltem temperentur. Inhoneſta rurſus eſt, uel humana, uel aſinina, ſeu canina. Illa dicitur, ubi quis, uel extra coemeterium, uel ad eius marginem, terra obruitur; haec autem fit a carnifice, in loco infami, cadaueribus brutorum, aut facinoroſorum, deſtinato.

§. III. Sicuti uero priuatio honeſtae ſepulturae, poenae rationem habet, ita haec, regulariter, nemini deneganda eſt. Non igitur ab ea excludendi ſunt, uel infantes, qui, ſine Baptiſmo, deceſſerunt, uel foeminae in puerperio extinctae, uel qui caſu improuiſo peremti ſunt, aut qui occiſi, ſiue in uia publica, ſiue alibi, reperiuntur; cum, in dubio, ſemper in meliorem partem praeſumi debeat.

§. IV. Inhoneſta, ſed tamen humana, ſepultura, locum habet, 1) in haereticis, *c. 13. §. credentes, X. d. haeret.* Quorum numero tamen haudquaquam ueniunt illi, qui profitentur religionem, in Imperio publice toleratam. Vid. *Inſtr. Pac. art. V. §. 25.* niſi quod paſſim, retorſionis iure, intuitu eorum, ceremoniae temperari ſoleant. 2) Excommunicatis, qui, ſine poenitentia,

 diem

diem obierunt. *c. 12. X. d. sepult.* Quod & *Ord. Eccl. Sax.* expresse confirmat. *art. gen. 11.* §. im Fall. In quem censum etiam, manifesti contemtores Verbi Diuini, & Sacramentorum, referendi sunt. *cit. c. 12.* Vbi tamen caute agendum, ne temere quemquam, pro tali, nisi causa prius cognita, habeamus. Igitur solum parochi testimonium, & iudicium, non raro ex priuatis affectibus proficisci solitum, haudquaquam sufficit. 3) Vsuariis manifestis. *c. 2. d. usur. in 6to. add. Mand. Elect. Sax.* von Wucherlichen *Contract*en, *d. A. 1625.* §. So wollen Wir. quod tamen hodie raro fieri solet. 4) In reis delicti capitalis, si praegnantibus indiciis onerati, in carcere extincti sint. 5) Illis, qui duello occisi sunt. Vid. *c. 1. X. d. torneament.* In Saxonia Elect. iuxta *Mandatum*, von der Selbst-Rache, *de A. 1712.* §. 39. tali casu illi, qui nobilioris conditionis sunt, extra coemeterium sepeliuntur, reliquorum uero corpora, per carnificem, de patibulo suspendi, iubentur; ubi perinde, ut alii suspensi relinquuntur, nisi Princeps, per modum dispensationis, sepulturam concedat.

§. V. Asinina sepultura decerni solet, partim propricidis dolosis, praesertim, si graues

nes circumſtantiae concurrant, partim illis, qui de crimine capitali conuicti, aut confeſſi, in cuſtodia deceſſerunt. Vbi quandoque, urgentibus circumſtantiis, cadauer, a carnifice, ſubter aedium limen protrahi, aut de feneſtra eiici, & poſtea, in loco foedo, humari iubetur.

§. VI. Sepultura quondam, apud Romanos, priuati iuris erat. Unde, in quemuis locum, cuius quis dominium habebat, mortuum inferre, licuit, idemque hoc ipſo, religioſus, & nullius fiebat, tanquam Diis inferis dicatus. §. *9. Inſt. d. R. D. L. 40. ff. d. religioſ.* Enimuero ius ſummum, circa ſepulturam, hodie habetur, pars poteſtatis Eccleſiaſticae, quae, ut plurimum, per Conſiſtoria, exercetur. conf. *Ill. Thomaſii Diſſ. de Jure Principum Euangel. circa Jus ſepulturae.* Quamobrem, apud nos, Conſiſtoria, de ceremoniis, circa ſepulturam adhibendis, cognoſcunt, ad quae Paſtores, & Superintendentes, imo & Magiſtratus Politici, caſus, qui eueniunt, cum omnibus circumſtantiis, referre tenentur.

§. VII. Non uero ſepultura, moribus hodiernis, amplius permittitur, niſi in loco publico, *c. 3. X. d. Sepult.* regulariter coemeterio, aliquando etiam, conſenſu Patroni & praeſtito peculiari honorario, in templo,

c. 42. X. Simon. d. add. Mand. Elect. Sax. d. A. 1705. in Corp. Jur. Eccl. p. 514. ubi seuere interdictum, ne alia loca, praeter coemeteria, & ecclesias, mortuis condendis, destinentur. In his ipsis tamen familiaria, & hereditaria, sepulchra exstrui, nihil prohibet, quorum tamen usus tantum priuati iuris est.

§. VIII. Requirunt coemeteria, Jure Canonico, consecrationem, uel saltem benedictionem Episcopi, *c. 7. X. d. consecr.* qua, apud Protestantes, opus haud est, sed Patroni, & Pastoris primarii, consensus, accedente Consistorii auctoritate, ad eorum constitutionem sufficit.

§. IX. Sepeliendus quis est regulariter in ea paroecia, in qua decessit. *c. 5. X. d. Sepult.* Quodsi plures paroeciae, uno in loco fuerint, eius potior ratio habetur, ubi defunctus sacris, speciatimque Coena Dominica, uti solitus est. Conceditur tamen aliquando, ob causam, u. g. religionis diuersitatem, aut, quia alibi quis domicilium habuit, translatio cadaueris, solutis tamen prius, ex consuetudine, passim recepta, stolae iuribus, & datis, si exigantur, reuersalibus literis; denunciari etiam illa magistratibus, merum imperium habentibus, debet, iis in locis, per quae cadauer deportatur. Vid. *L. 3. §. 4.*

ff. d.

ff. d. Sepulcr. uiol. Schilter. ad ff. Exercit. XX. thes. 31.

§. X. Ducitur funus, pro cuiusque loci consuetudine, adhibitis ceremoniis usitatis, & accedente, ut plurimum, concione funebri, uel saltem parentatione, quam uulgo appellant. Vbi optandum, ut Parochorum quidam maiorem, quam fieri solet, prudentiam, & cautionem, adhibeant, ne elogia, quibus promiscue utuntur, & defunctos mactant, uenalia esse credantur; praesertim cum &, intuitu comitatus funebris, plerumque euenire soleat aliquid tale, quale uulgatum illud canit:

Cum moritur diues, concurrunt undique ciues,
Cum moritur pauper, uix aduenit unus & alter.

§. XI. Pro sepultura, Jure Canonico, nihil soluitur. *c. 13. X. d. Sepult.* Aliud moribus hodiernis receptum, quod nec a Jure Ciuili abhorret. Vid. *L. 37. d. religios.* A pauperibus tamen nihil exigi humanitatis, & caritatis Christianae, ratio exigit.

§. XII. Quodsi quis, cadaueri arrestum imponere, audeat, uarias incurrit poenas. Namque 1) actionem, quam habuit, amittit, 2) alterum tantum restituit. 3) publicationem tertiae partis bonorum patitur. 4) infa-


infamis fit. *L. ult. C. d. ſepulcr. uiol.* Quae poenae hodienum in uſu ſunt; publice enim intereſt, ne ſepultura impediatur. Vnde nec appellatio hic effectum ſuſpenſiuum habet.

§. XIII. Vetuſtiſſima Lege XII. tabularum cautum eſt, ne, ante nonum diem, cadauera ſepeliantur; hodiernis uero moribus, ob metum putrefactionis, tamdiu expectari non ſolet; modo non, ante duodecimam horam, poſt mortem, ſepultura fiat. Vid. *Ord. Eccl. Sax. art. gen 15.* Quia euenire poteſt, ut homines, lipothymia correpti, mortui uideantur, cum tamen adhuc uiuant. Sed &, in ſepulcris exſtruendis, caueri debet, ne uel cadauera a brutis eruantur, uel aër inficiatur. Unde, pro adultis, profunda eſſe debent tribus, pro pueris autem, duabus ulnis. *Ord. Eccl. Sax. cit. art. 15. Decret. Synod.* §. Ingleichen.

§. XIV. Denique obſeruandum, quod hominum quidem priorum, qui defuncti ſunt, memoria, merito inuiolata conſeruetur, ſed canoniſatio ſolemnis, ſeu receptio inter ſanctos, a qua beatificationem diſtinguunt, ab Eccleſiis Proteſtantium, merito ſit reprobata.

FINIS.


INDEX



INDEX I.
CAPITVM.

V Caput

INDEX II



INDEX II.

RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus Caput, alter uero Paragraphum denotat.

A.

Cleri-

I. *Jeiuni-*

I.

K.

L.

M.

T.

S. D. G.



